







IODOCI GREVERI
PRESBYTERI
SECRETVM,
ET
ALANI PHILOSOPHI
DICTA
De Lapide Philosophico.

Item alia nonnulla eiusdem materiæ, pleraque iam primùm edita
A
IVSTO A BALBIAN,



Ex Officina Plantiniana,
APVD CHRISTOPHORVM RAPHELENGIVM,
Academiæ Lugduno-Batauæ Typographum.
cIↄ. Iↄ. IC.

Beneuolo Lectori

IVSTVS A BALBIAN Aloſtanus S. D.

QVAMQVAM *non me lateat, amice Lector, a pleriſque huius temporis hominibus Chemicæ artis libros, non ſecus quàm olim Sibyllinos, ſtudioſe adſeruari; aut quod eos huius ſecretiſſimæ artis ſtudioſis inuideant, & prodere nolint; aut quod ſibi perſuadeant, non debere iſtiuſmodi, vt ita dicam, arcana temere omnibus ac promiſcue palam fieri. Ego tamen mecum reputans, & perpendens, fere omnes huius farinæ lucubrationes non niſi ſummis inuolutas difficultatibus, ænigmatibus, tropis, figuris, metaphoriſque, tam a veteribus quam a neotericis conſcribi eſſe ſolitas; atque ob id non de facili eorum ſenſum erui ac percipi poſſe, quam indefatigato, & longo ſtudio, innumeriſque in experiundo & laboribus & erroribus; ac vix aliter, ac ne vix quidem, ad veram ac genuinam mentis eorum cognitionem perueniri: non dubitaui hocce Iodoci Greueri de Chemia luculētum ſane luculenti authoris opuſculum e tenebris in lucem producere, paucis (vti exiſtimo) ante hac viſum; cum hactenus prælo (quod quidem ſciam) commiſſum non fuerit. Vtilitati igitur priuatæ (vt ſoleo) communem præferens, iuuandi ſtudio incitatus, in gratiam eorum qui huic ſacræ arti operam impendunt, ſcriptum hoc Philoſophi ſane in hac arte & diſerti & expertiſſimi euulgandum cenſui,*

atque publicum esse volui. Sic tamen quisque sibi persuadeat velim, non prima se statim atque altera lectione authoris mentem assequuturum. Quamquam enim præ cæteris, quos equidem aut viderim, aut legerim, (qui fere infiniti sunt) minus obscure conscripserit, ac minus errorum continere videatur; non tamen suis caret difficultatibus, quæ non nisi longo & assiduo studio, tædiosaque experientia tandem percipi possint: absque errore enim ad hanc artem non peruenitur, vel ipso Gebro id ita de se attestante: Nos, inquit, similiter in stuporem adducti multo temporis spatio sub desperationis vmbraculo delituimus. Si rex tantus, & Philosophus tam perspicacis ingenij, id de se confitetur; quid ipsi de nobis quæso censebimus? Merito id huic, si vlli alteri, quadrat quod dici solet; Ars longa, vita breuis, occasio præceps, experimentum fallax, iudicium difficile. Porro tamen si cum aliis veterum scriptis hocce conferre non grauaberis, ipse non difficulter iudicabis, quantum studiis tuis lucis adferre queat. Vale.

SECRE-

SECRETVM nobilissimum & verissimum, *venerabilis viri, Domini* IODOCI GREVERI PRESBYTERI.

In honorem sanctæ & indiuiduæ Trinitatis, & beatæ matris Mariæ semper virginis, nec non in consolationem piorum, alleuigationem pauperum, & directionē philosophantium, Lapidem secretissimum priscorum Philosophorum, multo cum errore, sumptu, labore, ac etiam vitæ dispendio quærentium, ego Iodocus Greuerus Presbyter & Philosophorum minimus, nihil de Diuina desperans gratia & misericordia, ipsius Dei munitus adiutorio, aggredior describere: opus pulchrum & perfectum, verum, non mutilatum, nec verborum ambiguitate obscuratum; quod mihi ex immensa sua bonitate is tribuit, qui solus habet potestatem dandi & adimendi artem hanc secretissimam cui vult. Vt igitur gloria ipsius qui tantam mihi indigno peccatori gratiam contulit, per me apud eos in omnem posteritatem innotescat & celebretur, quos ad abscon-

dita Philoſophiæ huius admirabilis myſteria vocauit atque etiam elegit; plana oratione, vera, & tamen Philoſophorum rationi & conſuetudini quæ reſpondeat, ſine omni ſtudioſa occultatione, rem omnem ordine & clare aperiam. Sat etenim ſcio, neminem hæc ſibi poſſe vſurpare, niſi eum cui Deus ipſe contulerit, qui ſolus & obſcuritatem horum myſteriorum illuminat, vel claritatem offuſcat; vt neque planiſſima quis intelligat, niſi ab ipſo illuminatus fuerit; neque obſcuriſſima quæque conſequatur, ſi ab ipſo illuſtrata non fuerint. Adiuro autem te quicunque hoc meum ſcriptum habueris, ne ipſum indignis, vel auaris, nec ipſis communices qui id ad proximorum ſuorum incommoda, vel etiam oppreſſionem conferrent, quales ſunt homines tyranni, iniuſti, adulteri, molles, & quorum venter ſibi Deus eſt. Spem igitur tuam in Domino Deo omnium creatore colloca, & operare cum timore eius, ad proximi vtilitatem ſecundum mea ſcripta, expectans benedictionem a Domino cælitus. In primis ſcias, chariſſime, quod ars noſtra imitatio eſt naturæ: & quemadmodum natura per ſe producit arbores & plantas, quas deinde hortulanus multiplicat, ſeminando illarum ſemina, aut inſerendo earum ſurculos; ita natura in terra montiumque profundis generat metalla, vt aurum & argentum, quæ artifex multiplicat inſerendo aut ſeminando ea in terram debitam, aut truncum idoneum. Sciendum igitur eſt tibi ante omnia, quæ ſint ſemina auri & argenti, qui trunci, quæue terra. Dicimus ergo quod Sol & Luna in ſe habent

bent ſua ſemina; quodque Saturnus, Iupiter, Mars, Venus, ſunt trunci; terra verò horum omnium eſt Mercurius. atque hoc pro fundamento ſtabili habeatur, ad quod omnem tuam dirigas intentionem, accommodando ſimilitudinem vnius ad alterius naturam & conuenientiam. ſiquidem & nobis author naturæ Deus per huiuſmodi contemplationem huius Philoſophiæ partem conceſſit intelligendam & perficiendam; quam nos hoc ſcripto dignis & electis communicamus, vt & ego & mecum alij plures ipſi Deo gloriam & laudes, cum debita gratiarum actione perpetuas offeramus. Vt igitur Philoſophi conſueti ſunt naturæ cõtemplantes operationes, Lapidis ſimilitudines, ab animalibus, plantis, arboribus, ouis, fœtibus, maris & fœminæ commixtione, infinitiſque propemodum aliis eius generis petere, ita nos quoque ad aliquam ſternendam viam, ad clariorem huius particularis operis intelligẽtiam, naturæ ipſius veſtigiis inſiſtemus, accommodationeſque legitimas & neceſſarias ab ea deſumemus. Etſi autem hoc opus ſit particulare, tamen in eo gradu veritatis eſt, vt ſi quis penitius cauſas rerum introſpiciat, animaduertat vtique Lapidi magno triumphali proximum eſſe, certitudine, veritate & potentia. Quæ verò ſit illa materia ex qua principia huius operis deſumenda ſunt, iam prudentibus in ſupradicta ſimilitudine oſtendimus: & vt porrò melius ob oculos proponamus, dicimus, quod quemadmodum ex homine homo, ex aſino aſinus, ex ouo gallinæ gallina, ex frumento frumentum generatur &

prouenit, ita ex omni ſimili fit ſuum ſimile, ex auro quidem aurum, ex argento argentum. Hinc igitur quam tu materiam accipere & tractare in hoc opere debeas intelligis: vbi id te quoque ſcire conuenit, non ex quouis homine hominem, nec ex quouis cane canem, neque ex quauis herba ſuæ ſpeciei herbam, ſemper produci: quandoquidem neque puer duodecim annorum, neque ægritudine languens homo vtriuſque ſexus hominem ex mutuo coitu procreabunt, itidem nec catulus canem, nec pullulans herba aut putrida herbam: ſed homo quidem maturus & bene ſanus, cum muliere ſimiliter matura & bene valente fætum generabunt hominis; & animalia cætera itidem in ſua ſpecie; & herbarum maturarum, ſemina æque matura. Quapropter dicimus, quod ſicut agricolæ ſemina frugum, herbarum, arborumque diligenter ſeligunt, & non niſi matura accipiunt, itidemque etiam ſurculos pro inſitione integerrimos deputant ab arboribus; ſic tibi etiam in huius operis negotio faciendum eſſe iudicabis. Non enim in hoc opus ingreditur aurum vulgi, nec mercurius vulgi, nec argentum vulgi, nec quiduis aliud vulgare, ſed Philoſophorum: cuius dicti quæ ſit ſententia, ex ſupradictis non obſcure patet. Quod autem dictum eſt de ſeminibus, idem & de terra dicendum eſt; non omnem ſcilicet terram idoneam eſſe ad producendum has vel illas plantas. quod ipſum etiam diuinus Maro in Georgicis monuit, & nos ab agricolis & hortulanis ſemper obſeruari videmus. Diſpiciendum igitur tibi erit, chariſſime,

quæ-

quænam terra ſit idonea ad ſuſcipienda Solis vel Lunæ ſemina, ne ſi ineptam elegeris, tam ſemina quam labores & ſumptus miſere amittas. Eligenda ſunt itaque, & ſemina & terra magno iudicio: electa autem terra excolenda eſt per omnia; ſicut & terra agrorum, hortorumque, aratione, aut foſſione, ſtercoratione, occatione, irrigatione, & id genus aliis modis excolitur. Hanc seminũ terræque delectionem & culturam appellant Geber & artifices huius diuini operis Præparationem, ſine qua neque Sol Philoſophorum, neque Luna, neque terra haberi poſſunt, neque vllus ad penetralia tantæ artis aditus patet. Nam aurum quidem vulgi vt plurimum impurum eſt, mixtioneque aliorum metallorum contaminatum, ægrum, morbidum, & ob id etiam ſterile; & argentum ſimiliter. cum contra Sol & Luna Philoſophorum ſint puriſſima, nullius mixturæ peregrinæ interuentu conſpurcata, ſana, valentia, & genitali ſemine abundantia. Terra quoque vulgaris inculta inarataque eſt: at terra Philoſophorum tauris ignem ſpirantibus, vt in aurei velleris fabula docetur, exculta eſt. Accipe itaque tu, chariſſime, verborum meorum legitimum ſenſum, & intellige, quia Philoſophi ſimiles ſunt hortulanis & agricolis, qui primum quidem ſemina deligunt, & delecta non in vulgarem terram, ſed in excultos agros, aut hortorum iugera ſeminant, ſeminata tandem calori Solis, cæliqueac terræ benignitati committunt, expectantes debitum idoneo tempore fructum. Non diſſimili vtique ratione Philoſophi quoque antequam opus incipiant, ac-

ceptum in manibus aurum & argentum vulgi diiudicare debent, num ſanum ſit vel ægrum: ac ſi ægrum eſſe compererint, ad ſanitatem debitam conueniente medicina reducant, quæ eſt ipſa præparatio. Hoc aurum ita medicatum, ſanum & purificatum, Sol Philoſophorum eſt: atque idem quoque de Luna ſentiendum. Habito autem Sole & Luna Philoſophorum tanquam ſemine bono, terra ipſa ab omnibus ſuis immunditiis, & herbis inutilibus expurganda eſt, & diligenti cultura elaboranda, in eamque ſic elaboratam Solis & Lunæ prædicta ſemina mittenda ſunt, ac continuo calori, cælique & terræ benignitati committenda, neque ante legitimum tempus eruenda radicitus; ſed expectandi ſunt fructus maturi, poſt folia & flores. Vnde iam ſatis apparet quod etſi Philoſophus accipiat aurum, argentum, & mercurium vulgi; tamen in hoc opus non inmittit ea antequam ab humo vulgari ad gradum phyſicum extollat. Quidam verò hæc magnis obſcuritatibus inuoluentes, dubitationes non minimas Philoſophantium animis iniecerunt, quas vt tu omnes diſſoluere valeas, hanc generalem quam damus regulam ſemper obſerua: videlicet quod in opus phyſicum nihil intrat abſque legitima præparatione, cuius virtus ea eſt, vt vulgaria faciat phyſica. Nihil itaque immundum, nihil ægrum, nihil incultum in opus noſtrum ingreditur; licet ante opus ipſum, accipiamus immunda, ægra & inculta. Ex quo vtique apparet, quodnam ſit Philoſophi officium, & quodnam ipſius naturæ, cui Philoſophus famulatur. Eſt enim

Philoſophi accipere materiam a natura datam, & eam modo debito præparare; terram quoque debitam eligere & excolere; poſt in eam mittere ſemina, & calorem aptum continuum ſubminiſtrare. Naturæ autem eſt in terram ſemina miſſa putrificare & diſſoluere, radices agere, ſuccum terræ attrahere, frondes, folia, flores, ſucceſſiue producere, fructum concipere, perficere & maturare: in hoc termino natura quieſcit, nec vltra procedit, niſi a Philoſopho moueatur, qui progreſſum naturæ non in fallacibus opinionibus, ſed certis ſignis recte agnoſcere debet. Cum ergo viderit fructum exacte maturum, nihil illi cunctandum erit; ſed colligenda ſunt matura, fructus, ſemina, remotis ſi quæ adſunt ſuperfluis; ac ſtatim noua excolenda terra eſt, in quam bene cultam ſua immittat ſemina, ac rurſus vt ante calori exponat continuo, in quo natura ipſa, iterum ad ſuum rediens officium, opus abſoluat, & paulatim quotannis fructum ſeminaque multiplicabit. Iam verò & illud ex hac contemplatione ſuboritur modo perpendendum, diuerſa eſſe temporum interualla quibus rerum naturalium generationes abſoluuntur: nam plantæ quidem anniuerſariam habent pullulationem & maturitatem fere; arbores ad quintum ſextumue annum maturantur; animalia quædam citius, quædam tardius, ad generandi maturitatem veniunt. Sic & metalla alia aliis citius tardiuſue maturantur. Porro quemadmodum agricolas videmus ſemina occatione obruere & concludere, ſurculos vero truncis inſertos cera vel argilla obligare; quæ

non

non ſunt de natura arboris, ſed ſunt media & adiuuantia, vt ſuccus trunci non alio quam in inſertum ſurculum feratur: ita etiam in hoc opere aptanda eſt quædam cera ſeu argilla, quæ ſuccum terræ exhalare alio non permittat, ſed intus contineat. hæc autem cera alligari ſolet pannicuIo obducto ab agricolis, ne pluuiarum ventorumue impetu, ad debitam vſque inſerti ſurculi coniunctionem, a trunco deiiciatur. Hinc itaque operationi noſtræ talem ex rebus quotidie ob oculos verſantibus ſimilitudinem attulimus; quam ſi quis diligenter conſiderat, erroribus pluribus facile liberabitur, & operis noſtri finem conſequetur optatum. Sed ne longiores ſimus, iam praxim ipſam ordine ſubiiciemus: ac primum quidem dicemus de inſtrumentis & materiis ad hoc opus requiſitis; poſtea de præparationibus; deinde de modo ſeminandi, & maturandi; vltimo de reiteratione ſeminationis, quæ operis eſt complementum.

Inſtrumenta huius operis.

SVNT itaque inſtrumenta ad opus hocce noſtrum requiſita hæc quæ ſequuntur. 1. furnus ſublimationis; 2. furnus digeſtionis, qui & athanor, & cinerum vel arenæ dici poteſt; 3. capella, vel olla pro cineribus aut arena; 4. cineres vel arena cribrata; 5. olla ſublimatoria; 6. aludelia parua ſublimatoria numero ſex vel ſeptem; 7. argilla cum fimo equino conquaſſata; 8. ferrum oblongum curuum in altero fine ſpatulare;

9. follis;

9. follis; 10. forceps pro carbonibus ignitis; 11. carbones; 12. bocia vel cucurbita vitrea; 13. crusibula aliquot; 14. capellæ, vel testæ ex cineribus ossium; 15. incus; 16. malleus. Materialia autem sunt, plumbum, antimonium, aurum, argentum, æs, argentum viuum. Item cera flaua, vitriolum, sal nitrum, alumen, calx viua, æs vitrum, vrinale cum spatula lignea. Atque ita totus instrumentorum & materialium numerus quater septenario comprehenditur, quod non caret mysterio. Furnus autem athanor est idem fere cum furno sublimationis, nisi quod imponitur illi capella cum cineribus vel arena, in qua collocatur bocia vitrea cum materia, & desuper clauditur cum alia capella vacua, ita vt nec ventus nec aër vitrum tangat.

Præparationes materialium; & primò auri.

AVRVM igitur pro opere hoc elige nouum, quod non in multis laboribus aurificum fuit, sed recens de minera venit, nec multos ignes expertum est, coloris optimi ad carattos 24. vel iuxta: atque in hoc genere optimum est, quod suapte natura rude in frustulis reperitur in ipsa terra excoctum & quasi colliquatum. quod si tale habere potes, nulla alia præparatione pro hoc opere indiges, quam quod in laminas subtilissimas malleando diducas; atque idem de argento dictum existimes. Si vero tale habere non possis, accipe aurum florenorum Hungaricorum, & purga

purga vel fac purgari fundendo per antimonium in regulum, quemadmodum faciunt artifices qui aurum foliatum elaborant; nam antimonium habet proprietatem aurum ab omni superfluitate purificandi. Verum si forte per antimonium purificationem non nosses, potes in cæmento regali per 24. horas comburere, & postea in corpus reducere, & malleare in laminas tenuissimas. Sed ne nos mancum opus tibi tradamus, modum purificandi auri per antimonium tibi describemus, qui est talis: ℞.auri vnciam vnam, vel quantum sane voles, antimonij quintuplum respectu auri; pone aurum cum antimonio in crusibulo, & positum inter carbones ardentes permitte fluere per horam vnam vel dimidiam; tunc habeas instrumentum ferreum vel æneum instar pyramidis ab interiori parte excauatum, quod sit intus planissimum & calefactum ad ignem, inunge intus cum sepo vel candela; & postea acceptum aurum cum antimonio ex igne, funde de crusibulo in hoc infusorium, & percutiendo leuiter fundum infusorij vt aurum decidat seorsim, tunc permitte ita infrigidari; post inuertas infusorium, & extrahe massam pyramidalem ex infusorio, cuius apex habet regulum auri, quem separara a reliqua massa, percutiendo iuxta ipsius apicem, & serua regulum auri ad partem. Massam vero antimonij recipe, & appone ipsi tertiam sui pōderis partem de nouo antimonio, & iterum in crusibulo liquefac, & effunde iterum in infusorium, ac separabis & hac vice regulum, si quis fuerit, quem coniunges cum priori regulo seorsim.

ſim. Potes autem & tertio reiterare, ſi opus eſſe videbitur, quod cognoſces ex magnitudine ſecundi reguli; vel ſic relinquere, ſi exiguus ſecundæ fuſionis fuerit regulus: hoc igitur ſerua ad partem, & cum regulis procede hoc modo: Accipe fruſtum tegulæ laterinæ teſtaceæ, quales in templorum antiquarumque turrium tectis haberi ſolent, & fac in eo foueam paruam, tuis regulis competentem, quod pone in foco & circumpone carbones, ponendo regulos in foueam eius; tunc accende carbones, & permitte antimonium per fumum a regulis tuis exhalare; ceſſante autem fumo cooperi diligenter cum carbonibus, & ſuffla tandem cum folle deſuper donec nullam maculam nec pelliculam ſuper tuo auro videbis, ſed quod erit pulchrum, quaſi gramen vireſcens in igne: & hoc ſolet poſt duas vel tres horas fieri. atque tunc exemptum aurum vna cum lateris fruſto in quo purgatum eſt in vrina clara extingue, & ſic habebis aurum perfecte mundatum, quod aptum eſt pro opere noſtro, vt fiant ex eo laminæ ſubtiliſſimæ per malleationem, quæ inuolutæ in charta ſeruentur ad tempus idoneum. Cæterum ſi vel in apothecis, vel apud pictores, inueneris aurum finum foliatum in quantitate ſufficienti, poteris illud pro auro puro vſurpare, nulla alia præparatione adhibita. Idem & de argento foliato intellige, ſi illud purum apud eoſdem inueneris; ſin minus, purifica hoc quo ſequitur modo.

Argenti

Argenti præparatio.

ARGENTVM, perinde vt aurum, id melius eſt quod recens de minera venit, vel quod non multoties per artifices laboratum eſt, ſed tantum capellatum cum Saturno in teſta vel capella. Si autem tale non habueris, accipe argentum id quod habes; & ſi ſuſpicaris adeſſe illi cuprum, vel aliam immunditiem admixtam, purifica in cineritio cum duplo vel triplo ſui ponderis plumbi nigri, donec ſit ab omni impuritate mundatum, tunc facies ex eo laminas ſubtiliſſimas, & in charta munda ſerua puriſſime vſque ad ſuum tempus.

Argenti viui præparatio.

ARGENTVM igitur viuum eligere debes, quod non ex plumbo vel aliquo metallo confectum ſit per artificium, ſed quod ex ſua propria minera venit, vt ex cynobrio montano; vel ex marcaſitis. Tale autem argentum viuum præparabis pro hoc opere in hunc modum: Accipe de eo libram vnam, de vitriolo vncias tres, de ſale nitro vncias duas, de alumine iameni vncias duas, de calce viua vncias tres, de cera flaua libram vnam; tere vitriolum, ſal nitrum, alumen & calcem viuam in mortario, & miſce. Poſtea impone ceram in vitreum vrinale cuius fundus ſit lutatus cum argilla fimo equino permixta & ſimul taminata, & collocetur vrinale ſuper furnel-

lum in capellam arenam continentem, & subijciatur ignis initio lentus, ne vitrum ex repentino calore rumpatur, donec cera in vitro fluat: interea argentum viuum agita in patella vitrea vel vitreata, cum prædictis speciebus, optime miscendo, affuso pauco aceto de vino forti: & cum cera in vrinali liquefacta fuerit, imponatur sensim argentum viuum cum prædictis pulueribus permixtum, & coquatur mediocri igne in cera illa per tres horas, semper agitando & versando cum spatula lignea. Elapsis vero tribus horis permitte infrigidari in vrinali, & cum virgula munda imprime foramen in ceram antequam induretur, & sic serua tuum mercurium optime præparatum pro hoc opere, aptum videlicet in quem Sol & Luna seminentur.

Antimonij præparatio; quod est medium coniunctiuum.

ANTIMONIVM, quod in hoc opus tanquam ligamentum duorum ingreditur, præparabis per sublimationem hoc modo: Accipe de eo libram vnam, & tere in puluerem in mortario, quem pone in ollam sublimatoriam, & superpone aludel cum foramine laterali, quod aludel vtrimque apertum esse debet tam a parte latiore quam ab angustiore, sicut etiam reliqua aludelia; deinde iuncturas argilla tenaci cum fimo equino mixta communias; & sic ordine omnia sex aludelia inuicem coniungito, ita vt angustior inferioris pars, latiorem superioris partem

ſubintret, iunctuis vbique firmiter lutatis. Supremum autem aludel cæteris minus foramen habere debet, vtpote digiti groſſitie, non latius; quod ligno arido ipſi optime conuenienti obturandum eſt. quo facto ſiccatis iuncturis, ponatur turris hæc ſublimatoria in ſuum furnum, & firmetur luto tenaci, ne huc atque illuc vacillet, relictis in circuitu foraminibus quatuor, per quæ furnus à fumoſitatibus liberetur. tunc ſuccendantur carbones in furno, & ſucceſſiue augeatur ignis, donec antimonij puluis liquefiat:quod cognoſces certo argumento ſi ferrum ſpatulare obliquum immiſeris in ollam ſublimatoriam per laterale foramen infimi aludelis. Cum igitur ſenſeris liquatum in olla antimonij puluerem,tunc inceſſanter verſato & moueto antimonium ferro illo tuo ſpatulari, dando ignem fortem ſubtus, adeo vt fundus ollæ ſublimatoriæ quæ eſt in furnello totus candeſcat: ſicque continuabis ignem & verſationem antimonij continue donec ſenſeris antimonium totum eſſe ſublimatum, nec amplius aſcendere. Poteris autem huius rei certior fieri, ſi ligneam ſupremi aludelis clauſuram aperiens, nullum ex eo foramine fumum exhalare conſpexeris: tunc ſenſim ceſſa ab igne, & caute circumpone iuncturæ aludelis infimi telam humidam, & cum iunctura humiditatem omnem attraxerit, caute remota lutatura deme aludelia omnia, & collige ex eis ſulphur album antimonij, quod ad latera eorum in forma albiſſimæ farinæ eſt ſublimatum: hoc enim ſulphur eſt admirabilis effectus in hac operatione, quia ipſum eſt

& mer-

& mercurio & Soli & Lunæ amicum, ipſum eſt vinculum corporis & ſpiritus, & matrimonium ſpiritus & animæ; ipſum, inquam, eſt vehiculum tincturæ, & eſt cera illa continens vitalem trunci liquorem, ne aliorſum diffluat quàm in ſurculum ſibi inſitum. Collige ergo hoc ſulphur diligenter, & cuſtodi tanquam theſaurum precioſum: cum ipſo enim ad optatum finem peruenies. Atque ſic compleuimus ſermonem noſtrum de præparationibus materialium omnium ad hoc precioſum & valde ſecretum opus pertinentium & ſufficientium: nec in eo quicquam diminutum aut imperfectum poſuimus, nec verba noſtra tranſpoſuimus. Iam igitur reſtat de ſeminatione dicamus.

Seminis in terram proiectio.

IAM habes, artifex chariſſime, magnam laboris tui partem abſolutam; reſtat vt ſemina tua terræ mandes ad putreſcendum, vt proferant fructum deſideratum, duplum, triplum, centuplum, & millecuplum. Niſi enim granum frumenti in terram iactum mortuum fuerit, nullum fructum adferet. Accipe igitur, in nomine ſanctæ & indiuiduæ Trinitatis, auri foliati vnciam vnam, vel quantum ſane volueris, & quadruplum eius de terra tua bene exculta, quæ eſt in vrinali vitreo, ſub apum teſtudine concluſa. Sin vero paupertate ea laboras, vt Solis copiam tantam habere nequeas, tunc accipe de Luna laminata pondus prædictum, & de terra iam dicta ſextuplum. Diuide

uide laminas igitur cuiuſuis luminaris fruſtulatim, & proiice in dictam terram in cruſibulo frigido, continue agitando digitis vel piſtillo ligneo, aut vitreo, donec laminæ omnes in puluere terræ noſtræ inuoluantur: tunc habeas aliud cruſibulum mundum, quod pone inter carbones accenſos, cumque candeſcere ceperit, exime ab igne, & pone in loco tuto inter duos vel tres lateres, ne facile inuerti poſſit, & habeas ad manum patellam mundam vitreatam in qua ſit aqua pura, tunc calente adhuc cruſibulo ignito iniice in ipſum laminas tuas tuæ terræ inuolutas, & obſtructo ore tuo ne fumus terræ per inſpirationem attrahatur, agita ligneo bacillo eas, vt bene in terram ingrediantur, quod cito nimirum fieri ſolet: cumque eas bene in terram eſſe receptas ex eo cognoueris, quod nullas ſub bacillo ligneo ſtrumas aut glebulas ſenties, tunc effunde ſine mora in patellam aquæ frigidæ puræ: atque hac ratione ſemen tuum in terram tuam miſiſti. Hanc autem mixturam communiter Philoſophi vocant *amalgama*, quod idem eſt ac ſi dicas mollificatum, eo quod durum auri vel argenti ſemen in terra tua mollificatur. Neceſſe eſt autem mixturam hanc aqua puriſſima & ſale albiſſimo & puriſſimo, tam diu terere & lauare, donec nulla amplius nigredo in ea appareat, ſed aqua clariſſima ab ea egrediatur vel recedat. Tum tandem tela mundiſſima aquoſitatem mixturæ adhærentem exiccabis. Hoc igitur eſt principium operis tui, quod Philoſophi multis nominibus appellantes, æs noſtrum, aurum noſtrum, terram magne-

ſiæ,

ſiæ, totum compoſitum, &c. indignis celare voluerunt. Nūc occationem proſequamur.

Occatio agri ſeminati.

CHARISSIME, noueris hanc operis partem à nonnullis Philoſophorum dictam eſſe imprægnationem, ab aliis diſpoſitionem perpetuam: quam nos propter noſtram ab initio inductam ſimilitudinem, non temere occationem dicimus. Sicut enim ager ſeminatus occatione inuertitur & glebæ eius maiores franguntur, quoad plane ſemina iniecta occultentur: ita in hoc opere noſtro terra mercurij acceptis cuiuſdam luminaris ſeminibus, teritur, inuertitur, & ſemina prorſus occultantur. Cum igitur iam agrum ſeminatum habueris, ſeu dictum amalgama confeceris, & ablutum ſiccaueris aliquantulum, tunc accipe farinam tuam albam ex antimonio ſublimatam, & ſparge modicum ſuper amalgama poſitum ſuper marmore plano, & mole totum hoc tam diu donec amalgama dictam antimonij albedinem ad ſe receperit: quo facto appone ei plus dictæ albedinis, iterumque mole inſimul donec eam ſuſcipiat. atque hoc toties reitera, donec videbis amalgama tuum nihil amplius de dicta albedine ſulphuris antimonij poſſe inbibere. Hoc ſiquidem eſt dictæ occationis abſolutæ ſignum determinatum. Tu vero collige tuum amalgama iam imprægnationi aptum, & impone diligenter in bociam vitream, quæ ſit tantæ capacitatis, vt ager tuus ſeminatus & occatus tertiam duntaxat eius

partem impleat, duabus partibus vacuis relictis: postea conclude orificium tuæ bociæ cum luto sapientiæ, facto ex albumine ouorum, pulueribus laterum, & calce viua, super panniculum madidum in eodem albumine extenso, quod permitte siccari; & habebis ouum Philosophorum perfectum, in quo impletur dictum Philosophorum, quod scilicet non est nisi vnum vas, lapis vnus, coctio sola. Sed hoc ad regimen maturandi pertinet, de quo iam instat dicendi tempus.

Germinis pullulatio.

PHILOSOPHI ab ouo similitudinem sumentes, quemadmodum nos a plantarum seminatione, primum regimen oui docuerunt esse putrefactionem, quam ad natiuitatem vsque, non modo ad formationem pulli in ouo extenderunt, natiuitati nutritionem subiicientes. Nos pro clariore intellectu paulo aliter nobis assumptam similitudinem sequuti, de his loquemur, in hunc videlicet modum. Quo modo videmus herbam semina non ex toto in putredinem, & omnimodam cum terra mixtionem abire: sed humido terræ succo madescere mollirique primum, post germen emittere, succrescere spicam, & vmbellas protrudere, mox florere, tandem semina formare, eisque formatis postremo tandem maturescere: eodem vtique modo etiam in opere particulari, eadem hæc interualla animo obseruanda censemus, & ad similitudinem mensium, rationem caloris accommodandam, hortamur. A conclusione

clusione enim oui tui Philosophici, dum adhuc niueam albedinem terræ tuæ superesse vides, Martialem te administrare debere calorem lentissimum admoneris. Huius autem caloris auxilio, niuea illa albedo in griseum vel cinereum colorem abit, qui germen e terra ortum iam pullulare indicat, Aprilisque vim adesse testatur. Maia deinde virtute caloreque enatum germen, paulatim succrescit, foliisque & surculis coaugmentatur. Tum vero post Iunij caloribus vrgentibus, spicas & vmbellas exerit & dilatat, e quibus Iulio vrente flores, Augusto autem æstuante semina format atque connectit, quæ partim eiusdem, potissimum tamen Septembris maturantur officio caloreque. Quale sit igitur caloris regimen in hoc opere, homini industrio ex his quæ nunc retuli manifestum esse non dubito. tamen vt rudioribus quoque consultum sit, paulo apertius singula ordine declaremus. Concluso ouo tuo Philosophico, habeas furnum tuum Athanor cum patella sua terrea vel ænea, cuius sit profunditas sex vel septem digitorum transuersorũ, in quam pone stratum vel de fimo equino recenti, vel de fæno mollissimo ad duorum digitorum grossitiem aut paulo plus, super quo pone ouum tuum vitreum, & circumpone ei fimum aut fænum, ita cautè, vt nulla ex parte vacillare possit; hoc autem non altius circumponendum est quam ad materiæ in bocia altitudinem. Quod si vero non satis firmiter vitrum stare animaduerteres, ne pigeat te orbem ex assere cum foramine tanto aptare quantum vitro optime conueniat, ad eiusque

partem aliquam, extra medium aliud quoque foramen, quod ſit digiti ſpiſſitudine, per quod aperire poſſis quoties opus fuerit aquam affundere; tunc impone aſſerem hunc fimo circum bociam poſito, ita vt bociæ pars ex medio foramine exeratur; appoſitiſque duobus vel tribus lateris fruſtis ſuper aſſerem, muniatur aſſer optime. Hoc facto affunde aquam claram tantam vt tantum aſſeris ſuperficiem tegat, non altius calami groſſitie: tunc claude tuum furnum cum clauſorio ipſius Athanor, & ſubiice lentum ignem, qui videlicet aquam balnei Mariæ vel fimi equini duntaxat ita calefaciat, vt tangenti eam cum acumine calida ſentiatur: ſemper tamen abſque bullitione; quod diligenter animaduertere debes, opertorio Athanor frequenter ſubleuato, moxque repoſito. Continua hunc ignem noui veris, ſiue primi gradus, ſiue menſis Martij, totis ſeptem diebus cum ſuis noctibus, ea adhibita cautela, vt cum aquam balnei per continuam & lentam euaporationem deficere vides, ſtatim appoſito infundibulo in foramen aſſeris, rurſum affundas aquam tepidam, minime autem frigidam, niſi per tuam negligentiam aqua bullire cepiſſet. Elapſis diebus præfinitis, exime bociam, & conſidera ſi primus color ex albedine iam mutatus ſit in cinereum obſcurum, vel nigrum albedine quadam dilutum, & repone iterum in ſuum locum antequam frigeſcat. Caue tamen ne tua manus ſit admodum frigida dum bociam tangis; alioquin ipſa rumperetur. Si igitur quem dixi colorem aſpexeris, gaude; quia & calorem legitimum

ſubmi-

ſubminiſtraſti,& iam ſemina tua germinare, hoc ipſo ſigno conſpicis. Nonne vides omnia germinantia prima ſua pullulatione e terra croceum oſtentare colorem? Scias autem, chariſſime tanti ſecreti inueſtigator, nihil æque tibi in hoc opere eſſe diligentiore cura animaduertendum, quam colorem, & quantitatis humidi variationem: hæc enim ſunt duo ſola quæ artificem ab initio vſque ad complementum operis ſine errore perducunt. Proinde iubet Geber omnia ſigna quæ in qualibet decoctione apparuerint diligenter in mente artificis ſigillare, & eorum cauſas inquirere. Sed hoc non peruenit ad artificem duræ ceruicis, nec auarum, nec mollem, nec aliis huius mundi vanitatibus irretitum. Si vero prædictum ſignum in oculis tuis non appareret, continua eundem ignis gradum aliis ſubſequentibus quatuor diebus naturalibus: & tunc iterum conſidera, iterum reponendo ſi nondum apparuerit: atque ſic fac de quarto in quartum diem, donec tibi ſignum à nobis dictum compareat. In hac autem decoctione aſcendet ex terra tua quædam humiditas argenti viui, inſtar nubis, & adhærebit ſuperiori parti vacui tui oui ad latera eius, quam tu intactam dimitte, vſque dum tibi de ea ſignificem quid ſit agendum. Nonne vides ſeminatum agrum & ante germinationem & poſt ſubinde multas ac diuerſas exhalationes facere? quarum quædam in pluuiam conuerſæ rurſum agrum irrigant, & germini vtile præbent nutrimentum, quædam vero in aëre euaneſcunt, nullam ipſi adferentes vtilitatem germini? Quare conſidera

magna cum induſtria quid hac in parte agendum ſit, nec temere huiuſmodi exhalationes conuerte in pluuiã, niſi ſua ſponte conuerſæ agrum tuum irrigent. Cum vero ſemina tua iam germinare euidenti argumento cognoueris, ſcias finitum eſſe tuum Martium, & veris benigni factum eſſe initium Aprilis: itaque calorem qui exiguum quid a Martio differt ſumma diligentia imitare, ſcilicet abſque bullitione aquæ fimi equini, idque ideo vt natum ſeminis germen iam pullulare incipiat,& quodammodo roborari. Signum autem pullulationis germinis eſt copioſior humiditatis exhalatio, & coloris, vt ſupra dictum, quendam fuſcum, aliqua rubedine vix notabili perceptibilique variatio. Expectabis autem aduentum huius ſigni ſeptimo vel octauo die, poſtquam calorem hunc antiqui veris adminiſtrare ceperis. Atque iſta duo temporum interualla tali regimine exequeris,quo germinatio ſeminis mediante putrefactione, & germinis pullulatio,accedente calore digeſtiuo, perficiuntur.

Augmentatio germinis.

ANTIQVI veris finito tempore, ad præceps ver veniendum eſt; quando ſcilicet germen iam herba fit, ſurculiſque ſuis attolli incipit,& viriditatem oſtentat legitimam. Hoc igitur Maij tempus eo imitaberis calore qui ſummus in aqua eſſe poteſt, non quidem cum bullitione, ſed iam cum tremore bullitionis;continuabiſque dum ſequentia ſigna apparuerint. Primum

mum color materiæ obſcura rubedine, fere nigricante, laterem oſtentans, quem neque nigrum ſcilicet, neque rubeum, neque brunum, ſed mixtum quendam ex omnibus his cognoſces. Alterum terræ ſiccitas, quam ex eo intelliges, ſi diligenter quantitatem exhalationum ante factarum animo comprehenderis. Nam ſi manifeſta quapiam nota cognoueris hoc calore minus exhalationum aſcendere, eaſque quæ iam ante lateribus vaſis tui adhæſerant, non multiplicari, ſed eadem in quantitate conſiſtere, terram tuam ſiccam eſſe iudicato. Hîc igitur iam augmentatum eſſe tuum germen, & in duritiem iuſtam herbæ aut calami coaluiſſe & excreuiſſe, viſis prædictis ſignis protinus intelligito. Memineris autem, fili, non multiplicationem nos, ſed augmentationem germinis deſcribere, ne te Philoſophorum loquendi formulæ decipiant: non enim fit multiplicatio germinis, niſi poſt ſeminationem nouam multiplicati ſeminis. Augmentatio vero germinis fit ante multiplicationem ſeminis in eo. Nunquid non conſideras omnium rerum naturalium progreſſum? Vbi vidiſti multiplicationem indiuiduorum alicuius ſpeciei antequam idem ſemen germinauit, pullulauit, ac in ſuis partibus augmentatum eſt? & ſpicas, vmbellas, vel racemos protulit, ex quibus tandem florent, à floribus ſemina, fructuſque formant, & formatos maturant caloris debiti miniſterio? nonne hæc ſemina plura ex vno illo ſemine formata, poſtquam legitime maturuerint, colligere te oportet, purgare à corticibus, ſeparare à paleis, eruere ex folliculis,

liculis, & tandem denuo ſeminare, ac per eoſdem generationis gradus, per quos antea a natura mouebatur, ad maturitatem vſque expectare, & tunc primum multiplicationem indiuiduorum videre & habere? O ſtulti quid inſanitis? & rationem & opera naturæ dimittentes, & ſequentes capitis veſtri irrationales fantaſias? An non dixit vobis Geber, omnem actionem naturalem ſuum habere determinatum tempus, in quo maiori vel minori ſpacio ſuum effectum producens terminatur? At vero ſi adeo vacui eſtis ratione & intelligentia, vt ex ipſa natura eiuſque operibus hæc non intelligatis, ab hac arte occultiſſima nimium procul diſcedite, ac ad ſtiuam & aratra ruſticorum confugite, vel ſaltem ab ipſis diſcentes naturæ operationem imitari. Tu vero fili mi, qui Philoſophiæ ſtudiis initiatus es, iam diu verba noſtra probe intellige, quæ nos ſatis clara & bene intelligibilia ſcripſimus, nihil celantes præter duo quæ nullus vnquam Philoſophorum palam ſcribere auſus eſt, eo quod illa per manus tantum filiis doctrinæ tradantur. Et nos quidem cum ab homine multum venerabili & prouectæ ætatis presbytero ea per manus acciperemus, adiurati fuimus & obſtricti, nemini vnquam in ſcriptis ea tradere, monſtratuſque fuit nobis per eundem locus in ſcriptis Calid Philoſophi, vbi tentauit illa ſcribere, ſed diuinitus prohibitus fuit. Per duo ſiquidem illa, & nullo modo alio, ad abſtruſiſſimæ huius artis deſideratum effectum peruenitur. Quapropter & tu, fili, cum laborare volueris ſecundum verba noſtra quæ vera ſunt omnino,

omnino, absque ambiguitate aliqua, sic incedas in hac regia via quam nos monstramus, vt duo reliqua ex inspiratione Dei, veluti per manus tradita considerare & intelligere merearis. Ipse enim si cor tuum rectum fuerit coram ipso, mittet ad te in tempore oportuno, sicut & ad me indignum presbyterum misit, qui illa duo tibi per manus tradet, & sicut pater filio hereditario relinquet. Ab initio igitur tui operis semper memento duo esse, quæ tantummodo per manus tradantur iis quibus naturæ creator Deus concesserit: & huius memoria admonitus, procede cautissime cum magno timore Dei, & reuerentia naturæ, opus tuum de gradu in gradum exaltando, vt cum augmentatum germen tuum habueris, ex albo scilicet colore ad rubeum obscurum deductum, terramque tuam conuenienter siccam; mox ad finem huius præcipitis veris properes, nubesque omnes quæ in tuo aëre sunt, in pluuiam resolue, vt agrum tuum irrigent, ne plantæ iam crescentes siccitate nimia emoriantur. Hic igitur quatuor a pluuia diebus naturalibus transeuntibus, in eodem caloris regimine ouum tuum cum irrigata terra, in fimi balneo guberna, & diligenter animo nota quantæ & quales exhalationes ex terra tua iterum ascendant. Quinto autem die habeas iam ante paratum cinerem purum & cribratum in capella seu olla noua, similis quantitatis cum ea in qua balneum fimi fuit, & circumpone iuncturæ qua patella balnei fuit furno Athanor coniuncta; telam triplicem aut quadruplicem madidam, vt iunctura lutea facilius resoluatur;

qua

qua emollita excipe e furno totum balneum calidum, & ſtatim impone patellam tuam cum cineribus cribratis iungendo diligenti vt prius cura, cum parietibus furnelli cum luto idoneo, & ſubiicias ignem Iunij, ſcilicet ſecundi gradus, vt cineres bene calefiant, non tamen vt manus tangentis adurendo lædant. Cum igitur vitrum tuum in balneo adhuc caluerit, iamq. cineres calidi fuerint, pone ipſum ſuper cineres calidos, ita vt ſub fundo ſit altitudo cinerum bene compactorum, ad quantitatem trium digitorum inuerſorum; circum vero ponãtur itidem cineres calidi bene compreſſi, ad altitudinem vſque materiæ vel paululum altius. atque hic æſtas noua initium ſortitur, nouoque ignis in gramine gaudens ſolertiam requirit maiorem. adhibe ergo cautelam vt cinerum ignis ſit æqualiter die noctéque calidus, quemadmodum diximus; vt videlicet manus tangentis adurendo non lædant, neque fundus patellæ in qua cineres ſunt, vnquam igne candeſcat. Hic enim eſt ignis Iunij ardentiſſimus, de quo Maria prophetiſſa & turba Philoſophorum ait: *Decoque igne lento, qui ſit ignis ſicut ignis Iunij ardentiſſimus.* Cumque huiuſmodi ignem rexeris per quatuor vel ſeptem dies naturales, ſcito ſegetem tuam in eo ſtatu eſſe in quo germinis ſpicæ, vmbella, racemique, herbarum, plantarum, aliarumque vegetabilium ſpecierum proueniunt. Signa autem per quæ vmbellas ſpicaſue prodiiſſe cognoſces, ſunt iſta; rubedo ſubnigra quæ modo fuerat, iã clariorem rubedinem referet, apparentemque ante in rubedine nigredinem occultabit;

exhalatio

exhalatio præterea pauca in aërem ex terra aſcendet. Memento autem ſupradictæ regulæ ſemper obſeruandæ, quod nubes tuas non debes in pluuiam conuertere, niſi cum animaduerteris, nullas amplius e terra exhalare, & eas quæ iam aſcenderunt non multiplicari amplius. Tunc autem non plus quam duos naturales dies continuato calore expectabis, & nubes tuas in pluuiam conuertes, quæ agrum tuum irrigabit, vt fructum ſuum ferat in tempore ſuo.

Florum emerſio, & ſeminum formatio.

FILI mi, gratias agamus Deo miſericordi, & gubernatori naturæ, quia iam ſemen noſtrum germinauit germen, pullulauit, creuit, & vmbellas racemoſque produxit. Gratias agamus ipſi, quia ipſius nutu nubes noſtra eleuata eſt, & dedit pluuiam oportunam, qua ager noſter fecundior factus eſt. Gratias agamus ipſi, quia meſſis primæ ſeminationis iam prope eſt, & vindemia ipſa imminet. Ager namque noſter culmis, ariſtis, ſpiciſque, armatæ inſtar aciei horreſcit, mox daturus frumenti expectatos aceruos. vinea noſtra iam racemos protulit, qui mox in flores vuaſque reſoluentur. O fili, age gratias Deo, qui tam mirabilia ſecreta nobis largiri dignatus eſt. Sed dico tibi, fili mi, quod niſi lumen naturæ ſequaris, monſtratoremque illorum duorum habeas, proximus es errori & deuiationi. nam quod nos paulo ante de nubium conuerſione in

pluuiam

pluuiam diximus, hoc antiqui Philoſophi de cauda draconis, quidam de augmentatione, quidã de multiplicatione, quidam de additione noui mercurij protulerunt, & ſignificari voluerunt, non recte ſcilicet opera naturæ examinantes. Quidam etiam terram noſtram aquam nominauerunt, & cum iuſſiſſent terram noſtram ſæpius irrigandam, accepto nouo mercurio totum agrum non modo irrigarunt, ſed etiã ſubmerſerunt, non intelligentes nimirũ huiuſmodi irrigationem ex naturalibus ab ipſa terra noſtra exhalationibus fieri debere, nõ ex affuſione aquæ peregrinæ: neq. hoc dictũ Philoſophorum intelligere potuerunt, quamuis tota Philoſophorũ turba clamaret, cauendum eſſe ne terra noſtra ſubmergatur & ſemina diluuio pereant. Quare tu, fili mi, cautus vt ſis oportet, & naturam vbique ducem ſequere: cumque videris quartæ ſtationis, in qua ſpicæ emergunt, certiſſimum clarioris ruboris ſignum, vti dictum eſt, adminiſtra eundem calorem, aut paulo maiorem ſequentibus quatuor vel ſeptem diebus & noctibus, vt ex ſpicis & vmbellis flores ameniſſimi ſeſe expandant, ſuæque indicium ſpeciei exhibeant. Signum autem florum iſtorum certiſſimum erit coloris rubedo metallina, ſplendorem metallicum oſtentans, & exhalationum antea aſcendentium copioſius nunc exigua quantitas. Conſidera, fili mi, & vide an flores campi non atteſtantur ſuper ſuo genere & ſpecie, nunquid roſam non ſuus flos arguit? nunquid non ſuus euphraſiam? nonne ergo metallum metallica rubedo vti flos oſtentabit, & iam iam adfu-

turum

turum significabit? imo vero. Hic igitur antiquæ æstatis finis esto; quæ non aliter flores ex spicis, quam noua spicas ex crescentibus calamis, produxit, Iulij mensis calore continuo seminarium opus disponente atque mouente ad floridam perfectionem. Age vero, fili mi, tu cum videas omnium vegetabilium atque plantarum flores, futuri seminis atque fructuum certissimum signum esse, secundum cursum naturæ; (de monstris enim sermo nobis non est) erige te in optimam Augusti mensis æstatem, & post flores tuos metallicos, certissimum te metallum metallique semen visurum confide. neque id sane non multo admodum calore augmentato, sed quanta dumtaxat prima Augusti pars requirit. Cum ergo flores segetis tuæ iam apparuisse videris, trium dierum ac noctium spacio eundem ignem cinerum administrato, quantumque exhalationum videris ascendisse, tantum fac in pluuiam conuertas, nec eam quidem copiosam, ne corruptio florum ante sequatur quā semina formentur. Die autem quarto habeas arenam lotam siccamque & cribratam, quam calefac ad ignem lentum, exceptoque cinere prædicto ex patella furni Athanor, impone in eam dictam arenam, non nimis feruidam, in quam colloca vitrum tuum non frigidum, sed æque calidum cum calore arenæ, circumfundendo arenam ad materiæ altitudinem, subtus vero ad trium digitorum latitudinis profunditatem. Cumque hoc factum fuerit spacio vnius septimanæ, da ignem arenæ, absque ignitione fundi patellæ, aut tam diu donec videas

ruborem tuæ materiæ cum citrinitate & fulgore aureo, & cum paucissima aut fere nulla exhalatione. Quod cum videris, elatis in cælum manibus omnipotenti Deo gratias age, quia æstas præceps fructum suum dedit, & stirpes tuæ seminibus refertæ sunt, quorum signa sunt duo hæc, vti dixi, quia exhalatio est paucissima, & color materiæ propemodum citrinitatis aureæ. Sed etsi aliquæ exhalationes humidæ adhuc adscenderint, nihil id te moueat. Nonne animaduertis formatum fructum & semen non statim vt formata sunt decerpenda esse, sed expectandam esse maturitatem quæ illa perficiat? nonne ficus vno anno formatæ altero tandem maturescunt; vuæ autem mense Iunio formatæ & quandoque Maio, mense Septembri tandem maturitatem adipiscuntur? Retrahe igitur, fili, festinantem animi tui cupiditatem, & ne abrumpas opus ante sui maturam perfectionem. Esto patiens & magnanimus, expectans tempus determinatum. Ausculta Gebrum dicentem, parui spacio temporis artem perfici non posse; ideoque requiri in artifice patientiam, moram & instrumentorum aptationem. quorum autem instrumentorum, an non solius ignis? profecto. cum ipse sit solus omnibus in rebus naturalibus, atq. adeo tota hac in arte occultissima, omnium instrumentorum instrumentum. Disce igitur fili, summo studio ignis regimen, & ne sis in eius administratione negligens: nec te pigeat continuæ decoctionis. decoctio enim debiti ignis, promouet naturam & opus nostrum de statu in statum, de colore in

colorem,

colorem, & de gradu inferiore in gradum superiorem; nec vllo præter ipsum indigemus instrumento ad ouum nostrum perficiendum. Decoctio siquidem semen putrificando mollit, decoctio germen protrudit, decoctio surculos calamosque exaltat; ipsa flores expandit, ipsa semina format, ipsa denique eadem formata, ad expectatam digerit maturitatem, in vno eodemque vase, vnicaque artificis operatione, quæ in carbonum administratione consistit. O artem occultissimam! o scientiam secretissimam! o difficillimam operationem! Quantos quæso sudores successiua carbonum appositio requirit! nonne ludus iocusque puerum est? O fili, compone ouum tuum ex vitello & albumine, & obducas membrana, coërceque superinducto cortice, subiice illi carbones accensos, & cum eos deficere animaduerteris, appone nouos, atque ita produc laborem tuum ab initio ad finem vsque consummatum: cumque satis bene decoctum fuerit, fac cum eo sicut te Deus docuerit. Sed nos iam maturationis seriem ex ordine narremus.

Maturatio Seminis.

EST autem modus maturationis huius operis similis maturationi fructuum in suis arboribus, & seminum in suis plantis & stirpibus. Considera igitur motum Solis, mi fili; atque calorem mensis Septembris, & vide diligenter quid possit conueniens esse tuo operi, & quid disconueniens, nam in motu quidem Solis pro

horiſonte tuo, calor in Septembre minuitur, at in horiſonte eorum qui tibi ſunt à latere aut ex oppoſito augetur, quemadmodum & iis qui ſub æquinoctiali circulo habitant. Diſce, fili mi, has diuerſitates cognoſcere, & intelligere agrũ tuum in medio mundi eſſe, æquali ab vtroque polo diſtantia. Quapropter ne decipiat te diminutus Auguſti & Septembris calor tui horiſontis, ne forte cogites in opere noſtro, cum ad maturitatem ſemina fructuſque ſunt deducenda, eodem modo imminuendum eſſe calorem quo minui incipit in tua habitatione, cum ad Auguſtum & Septembrem peruenitur. Hanc enim ſimilitudinem ſequi, non eſſet niſi errori proximum. Prudenter itaque ſimilitudines rerum in natura huic noſtro operi applicandæ ſunt, ne male collatæ in errorem potius quam rectam viam ſeducant te innocentem. Scito igitur, fili mi, ſemen noſtrum eſſe veram Salamandram, quæ igne concipitur, igne nutritur, igne quoque perficitur. nihil itaque cunctéris igne paululum augmentato ad maturationem procedere, & quarto quoque die nubes ſi quæ eleuabuntur, rurſus in ſuam terram vnde exhalauerant reducere, idque continuare donec aut nullus aut exiguus admodum humor fumo potius quam nubi ſimilis exhalet. Perfectæ autem maturitatis ſigna ſunt, color rubeus cum citrinitate intenſa nonnihil reſplendens, & exhalationum defectus, &, quod certius his ſignum eſt, vt accipias de tali tuo ſemine granum vnum vel duo, & pondus eius cognoſce, poſt ſuperpone alicui teſtæ vel laminæ ferri aut cupri, impoſitumque

que valido igni adure, donec optime candeſcat. Si itaque in tali igne nullum omnino fumum dederit, ac exceptum ex igne pondus ſuum aut nihil aut exiguum quid diminutum oſtenderit, ſatis bene maturum eſſe indicat. At ſi impoſitum carbonibus antequam candeſcat, fumum emiſerit, & pondus ſuum multum imminutum fuerit, certum ſignum eſt maturitatem, quam Philoſophico vocabulo Fixionem vocant, non eſſe completam. Quapropter ſecretum tibi, fili mi, aperio, quod maturationis ignis tantus eſſe debet poſt ſui augmentationem ſucceſſiuam, vt fundus patellæ arenam continentis nonnunquam etiam igneſcat: non tamen continue. Vt vero vitrum tuum non timeat tantum calorem, poteris ipſum munire cum aliquãto luto Philoſophorum, ex ſubtili argilla purgata ab omnibus lapillis cum fimo equino taminata, & multum conquaſſata. ne ſit tamen luto altius obductum quam ad altitudinem materiæ in vitro, aut paululum altius, vt colores bene diſcernere poſſis. Ad hoc autem vt vitrum tuum luto obducas, neceſſario requiritur, vt ipſum ex arena eximas, vel cum in arenæ ignem imponere volueris ante impoſitionẽ eius, poſtquam ex cineribus exemiſti, infrigidari permittas, & luto tandem circummunias; a fundo ſcilicet vſque ad materiam in vitro contentam: cumque lutatum probe fuerit, & exſiccatum, ſi nullis fiſſum eſt rimulis, impone in arenam aut frigidam aut tepidam, & ſic ignem ſubiicias debitum & conuenientem. Sin vero rimas fecit, prius eaſdem oblutato, ac tandem ita vitrum

tuum in arenam reponas. Nec arbitreris, fili, nos contraria Philosophorum dictis docere, cum vitrum infrigidandum docemus ante sui lutationem. nam si calens adhuc vitrum luto circundare tentares, frigente luto & humido contactum, vitrum protinus funderetur in rimas. Neque enim dicta Philosophorum requirentium continuum calorem eo faciunt, vt tu existimes, semen tuum mox destrui, si vel minimum ignis remiserit, aut plus iusto exarserit. Philosophi enim cum ignem requirunt continuum, id agunt vt modum operandi exponant, simul docentes, eos ineptos esse operarios qui inceptum opus in ipso cursu delinquunt, neque ad finem vsque continuant, sed imperfectum sinunt. Tu vero, fili mi, considera naturam, & cæli motus aspice. nonne auræ calor & terræ resolutio calida, tam vere quam æstate, & aliis item anni partibus subinde variatur? nonne media æstate cum dies sereni calidissimique esse deberent, sæpe euenit vt Sole nubibus obscurato, & pluuia ventisque tumultuantibus, frigidissimos dies habeamus, neque tamen continuo segetes plantæque emoriantur? Quinimo nonne si continuus æstus Solis ferbuerit, nec vicissim calor & frigus mutuo successu plantas refecerint, vt scilicet nutrimentum humidum & frigidum calor subsequens digerat, calorique succedens frigus sua humiditate iterum nutrimentum adferat; nonne, inquam, tali continuo æstu terra fatiscet, & herbæ, stirpes, ac segetes radicitus peribunt? Nonne itidem si eodem modo nubes pluuiæque assiduæ, calorem Solarem

rem vegetabilibus adimant, longiori quam par eſt tempore, omnia hydrope tumeſcent & putrefacta corruent? Iuſta itaque temperies, & debita caloris ac frigoris humidique & ſicci viciſſitudo, optime rerum naturalium generationi conuenit. Hanc igitur tu quoque, fili mi, in opere noſtro ſequere, & minime aberrabis. Illius autem perpetuo te memorem eſſe oportet, ſemper calorem aliquantulum eſſe remittendum vno vel duobus diebus, non tamen intermittendum, quoties tu nubes conuertis in pluuiam & terram tuam irrigas. Si enim ſtatim poſtquam pluuia in terram deſcenderit a fortiore calore ſubleuabitur exhalatione vaporoſa, nihil omnino ſegetes ac ſtirpes nutrimenti ex ea aſſument. Quapropter abſque omni cunctatione, quoties id res ipſa requirere videbitur, & infrigida, & calefac, & humecta, & deſiccato terram tuam, nullo plane in hoc errore commiſſo, etiamſi ignis tuus aliquot diebus aut ſeptimanis non eſſet continuus. Id dumtaxat caueas, ne cum ſemel ignem extinxeris, perpetuo extinctum relinquas. nam & quoties vaſa franguntur, toties te materiam tuam infrigidare oportet, ac tandem in aliud vas priori conſimile reponere, moxque ad ignem ſuum referre. Rariſſimum ſiquidem vas eſt quod ab initio ad finem vſque perduret operis. Neque tamen exiſtimes mentitos eſſe Philoſophos, qui dicunt vnico vaſe magiſterium perfici. Cum enim hoc audis dici, protinus de ſpecie non de indiuiduo vaſis cogita, & ſic veritatem aſſequeris.

Collectio Seminis.

EN aduenit, fili mi chariſſime, meſſis tua deſiderata. Gaude & age immortales immortali gratias Deo, qui iſta nobis intelligere poſſe conceſſit, & verba mea ad veram & manifeſtam ſententiæ elocutionem direxit. Et tu, fili mi, ſupplex ipſum adora, vt cum laborare inceperis, duo illa abſcondita arcana manifeſtare tibi dignetur, vt tu quoque Philoſophiæ tam excelſæ ſtudioſus ad precioſiſſimas huius ſacri conuiuij epulas accedere dignus ſis, & in horto Tantali aurea Heſperidum mala decerpere poſſis, ſopito prius, vt fabulæ monent, dracone peruigili. At quia hortus ille muro ſolidiſſimo cinctus eſt, quomodo eum ingredieris? quomodo aurea mala ferentem arborem cognoſces? quomodo ea decerpes? O fili chariſſime, nonne vidiſti hortum illum in altiſſimo & deſerto monte conſtructum, cuius ima pars ſemper certantibus ventorum diſcordium viribus murmurat, & veluti chaos quoddam inſatiabile, perpetuam calidi & frigidi pugnam alit, medium vero rubeos & nigros habet dracones, quorum perpetua cum chao inſatiabili ventiſque pugna eſt; cumque furor rubeorum draconum, extimulantibus ventorum contrarietatibus exarſerit, ipſi quidem ſuo ipſorum æſtu pereunt, eorumque cadauer chaos illud excipit. Ne tamen æterna illa pugna requiem habeat vllam, iam iam perituris draconibus rubeis nigri ſuccedunt, qui & ipſi furore exardeſcentes igneſcunt; itidemque vt rubei pereunt, aliis ſtatim

tim vt dictum est succedentibus. Atque nullo vnquam tempore pugna hæc finitur. nam neque chaos ventique finiti sunt, neque rursus progenies nigrorum draconum deficit vnquam. Montis siquidem custos ac dominus vbique nigrorum draconum sobolem conquirens, eam certis temporibus in medium montem immittit: montis vero cacumen singulis annis triplicem habet variationem. Nam hyeme quidem feruentissimis fauillis, Ætnæ montis instar exæstuat. vere autem toto occulto igne priore stagnantibus thermis & iuncis palustribus inundat. æstate porro absorptis penitus thermarum aquis, cinis eorum adhuc tepidus, interdum vero etiam calidissimus prope attollitur, quæ hyberno igne combusta credi possunt. at autumno rursus cineres disparent, & sese arena subtilissima, & caloris feruidi, rubescens nonnihil, in eorum locum ingerit; quam ego existimo reliquias, vel saltem fundum esse aquarum quæ verno tempore stagnauerant. In hoc ipso monte, mi fili, vidisse te opinor regales Hesperidum hortos, in quibus rosæ aureæ & argenteæ, itemque mala punica aurea & argentea proueniunt, annuumque fructum ferunt. Ad hunc autem hortum accessus ipse difficilis, ingressus difficilior, decerpere autem ipsa mala aurea vel argentea longe difficillimum. Ea siquidem montis ratio est, vt neminem admittat nisi qui hyberno frigore accesserit. Quare & tu hyemis tempore accede, neque frigus horresce; ignis etenim qui est in aditu horti vix æstum perferre poteris. Videbis autem in summo montis custodem horti

turrim altissimam, cum duobus propugnaculis, quæ omnia in ardentissimo igne sita sunt. Oportet autem hortum hunc ingredi volentem, ante omnia tauros naribus ignem efflantes domare, & per turrim ac propugnacula ignea transire. Hoc autem magno cum labore & vitæ dispendio tentatur. Laboris certe magnitudo tanta est, vt non prius quam hyems finiatur transire possis. Periculum autem ex tot incendiis tantisque flammarum feruoribus non minimum vtique imminet. Huc igitur ingressuro Medeæ sunt acquirenda medicamina, quæ ipsa Iasoni olim hunc hortum ingredi conanti tradiderat. Quod si, fili charissime, medicamentum hoc non inueneris, da operam vt industria tua modum inuenias quo prædictas munitiones illæsus transeas. Nam si eas præterieris tantum, non autem transieris, hortum tibi ingredi nunquam licebit. Ac ego quidem cum auiditate magna & desiderio horti tenerer, viderémque me flammas absque periculo transire non posse, nolui tamen prius abire quam expectarem si quis forte veniret qui transitus rationem mõstraret, aut si forte ignis ardor imminueretur. Et tunc quidem post me nemo aduenit, & iam iam hyemis finis erat pro foribus: ecce autem interea subito magnus motus factus est illius turris, flammaque diminui cepit, quæ non multo post extincta est, & turris & propugnacula quasi absorpta sunt: quod vbi factum est, statim eadem illa hora qua turris steterat, ad hortum accurri, nonnihil attonitus ex his quæ contigisse videram. Atque ego quidem cum prope hortum accessissem,

sem,

ſem , ſtagnantibus vndique thermis impeditus ſum ab eius ingreſſu. erat enim hortus adamantino & diaphano cinctus muro in medio ſtagnantium aquarum calidarum. Sed & aquæ & hortus ipſe lateritio foris muro cingebatur: videbam autem gradus tres anguſtæ cuiuſdam ſemitæ per quos ſpes erat acceſſus. ac nihil cunctatus ſequi cepi, & apertus mihi eſt murus lateritius: & cum eſſem in primo gradu , veluti quadam putredinis maleolentia offenſus aliquamdiu hærere coactus ſum. Calor autem erat valde conueniens putredini:qui tamen abſumpta putredine vlterius prodeundi copiam dedit, ad ſecundum & tertium gradum. in quorum vnoquoque ſemper occurrebat aliquid quod me remoraretur, adeo vt cum iam me horto proximum crederem , mox montis facto tremore, aquæ abſorberentur , & relinqueretur foſſa profunda muro lateritio circumdata, cuius fundus calidis omnino cineribus æſtuabat. Hortus autem in medio cinerum, ad quem tres foſſarum ductus erant, quarum diuerſi erant calores. nam qui horto erat vicinior, erat aliis item multo calidior. Tantum autem laboraui donec iam ad aggerem tertij ductus aſcenderem: cum iterum facto tremore mons concuſſus eſt, & cineres obſcura caligine inuoluit, in quarum locum feruentiſſima arena ſucceſſit, hortum vndique cingens vnico aggere. Iamque hic optimam ſpem cõcepi, finem laborum prope eſſe:quemadmodum & euenit. Nam cum ex aggere contemplarer horti flores ameniſſimos, videremque tanta miracula quanta non licet eloqui, attonitus

factus

factus sum tanto stupore, vt quo modo me Senior quiddam in hortum introduxerit iam tum vix succurrerit. Idem autem ille senior in manu sua septem claues habebat, quibus ego arbitror seras portarum horti ipsum interea aperuisse dum ego attonitus in aggere starem. Deduxit autem hic senex me venerãdus ad arborem aurei mali apud quam draco quidã mortuus non multo ante tempore occisus iacebat, eiusque sanguine mala aurea infecta erant. Mihi vero animus ardebat cupiditate decerpendi mala aurea. quod cognoscens senior, & me placide inspectans ait: Depone, fili, mundanatum concupiscentiarum illecebras. Fructus enim isti non nisi Diuinis mentibus dantur. Ad cuius verba contremui totus; non enim antea vocem eius audiueram similem. ad quam quidem ego quasi immutatus sum, & multa intelligentia ornatior factus visus sum mihi. Ille vero in alteram mihi visus est transire formam, atque eam quidem augustam multum & quasi terribilem, iamque non hortulanum, sed ipsum horti dominum agnoscebam esse. Subiit vero me timor non exiguus, ne temeritatis meæ pœnas darem, qui tanti domini hortum furtim ingredi cogitassem vnquam. Ac dum anceps varia animo voluerem, & hinc quidem metus, illinc desiderium & spes me tenerent, ipse extensa manu aliquot decerpsit poma aurea, inspectansque poma ac me vicissim; Hortum, inquit, hunc felicitatis & sapientiæ, quem nos hominum gratia plantauimus, ac vt bestias arceremus adamantino cinximus muro, fraude doloque hominum peti vide-

mus,

mus, non intelligentium nemini huc ingressum patere, nisi iustis, castis, probis, bonisque, quos nos ipsi attrahimus: & si constantes eos quidem habuerimus, finitis tandem laboribus, huc introducimus, & huiusmodi muneribus eosdem ditatos placide dimittimus. Hæc dicens mala quæ decerpserat mihi tradidit: quæ ego coram ipso procidens, quanta maiore potui reuerentia & veneratione excepi, & in sinu meo recondidi gaudens. Quumque vt illi gratias agerem me pararem quas animo conceperam, Nondum, inquit, finis est, fili mi; sed hac me sequere: deduxitque me in officinam quæ extergendis aureis malis draconis sanguine aspersis erat deputata, ac desumpto ex pyxide quadam lignea puluere nonnihil albicante partem eius mihi tradidit, dicens, Hic est puluis detergens omnem maculam, & resuscitans omnem mortuum, discede, ac cela secreta, purifica conspersam igne & puluere, cole terram & semina purificatum, & crescat, & germinet tibi terra tua fructum copiosum. His dictis e conspectu meo disparuit. At ego attonitus obstupui. cumque deinde ad me rediissem, quasi ex somno excitatus, esse mihi videbar, nã quasi fessus longo itinere & labore fatigatus domi meæ in lectulo meo iacebam. putassemque omnino somnium me vidisse, nisi & aurea mala & pulueres in manu habuissem, verborumque omnium tam exacte meminissem. Sed siue re vera hortum ingressus tunc fuerim, siue in visione raptus eo delatus, siue insomnium viderim, benedictum sit nomen eius in secula qui mihi tanta naturæ mysteria

steria aperire dignatus est, & donum suum a me indigno peccatore non abstulit. Laudetur, benedicatur, & superexaltetur Pater, Filius, & Spiritus sanctus, vnus Deus, in seculorũ secula, Amen.

Conclusio.

HABES, fili mi, vniuersum processum operis nostri absque diminutione aliqua & absque omni superfluitate, competenti orationis stilo comprehensum. Apta igitur cor tuum, vt gratiam in oculis Dei inuenias. Donum namque Dei est, habens mysterium indiuiduæ vnionis sanctæ Trinitatis. O scientiam præclarissimam, quæ est theatrum vniuersæ naturæ, eiusque anatomia, astrologia terrestris, argumentum omnipotentiæ Dei, testimonium resurrectionis mortuorum, exemplum remissionis peccatorum, infallibile futuri iudicij experimentum, & speculum æternæ beatitudinis! Non est profecto vlla hac excellentior: vtpote quæ vna omnes scientias complectitur & continet, ipsa a nulla earum comprehensa. Tibi vero, o ineffabilis Maiestas, sit sempiterna gratiarum actio, laus, & benedictio, quia me tuam gratiam non abscondisti, artisque secretissimæ mysteria mihi reuelasti. vnde sit nomen tuum sanctum benedictum in sempiterna secula, Amen.

Vir insipiens non cognoscet, & stultus non intelliget hæc.

Saccharum psittaco, fœnum boui.

DICTA
ALANI PHILOSOPHI
DE
Lapide Philoſophico,

e Germanico idiomate Latine reddita

per

IVSTVM A BALBIAN
ALOSTANVM.

Lectori benigno

IVSTVS A BALBIAN

Flander S. D.

In Alani Dicta cum incidissem primum, cepi ea legere (vt par erat) attentius, idque sæpius; quod mole sua scriptum hoc pauca contineret, non tamen pondere. Quid dicam? complacuit apprime. Quid ni? cum dilucide admodum de arte illa Chemica (quam profitetur) disserat. Erat autem libellus ipse quem nactus eram Germanico idiomate conscriptus. Author tamen ea lingua eum in lucem emiserit nec ne, incertus etiamnum sum. Quod cum ita se habeat, instituto meo non duxi alienum, eum in Latinum sermonem conuertere. Neque tamen id eo feci, vt ex tantillo labore gloriolam vllam aucuparer: sed quod philochymis meis gratificari vel tantilla mea opérula desiderarem; idque iis potissimum, qui huius linguæ essent ignari. Hunc igitur Iodoci Greueri opusculo adiungendum curaui, quod eiusdem sint argumenti; idque adeo vt Greuerus ab Alano pleraque sua mutuatus videri possit. Addere visum est & ignoti cuiusdam commentariolum in Lullium, & Ioannis Pontani summi Philosophi epistolam, quantumuis & antehac excusam; nec non & monumenta aliquot diuersorum, carmine certe parum polito, prisco illo seculo a viris tamen peritissimis hac in arte exarata. Id porro cur ita fecerim, hi facile indicabunt, qui vel minimam huius scientiæ cognitionem habebunt. Quid cæteri censeant, qui hanc neque norunt, neque ferunt, susque deque ferendum autumo. His, benigne lector, fruere, dum aliud proprio marte paro. Lege, perlege, relege, & reitera: neque te laboris, vti spero, pænitebit. Vale ac boni consule. Datæ Gandæ Calendis April. 1598.

DICTA

DICTA
ALANI PHILOSOPHI
DE
Lapide Philoſophico,

è Germanico idiomate Latine reddita

per

IVSTVM A BALBIAN
ALOSTANVM.

AD Deum, mi fili, & cor & mentem conuertito quam ad artem magis: ipſa enim donum Dei ſummum eſt, cuique bene placitum fuerit eam largitur. Deum igitur ex toto corde totaque anima tua diligito, atque in eo ſolo & ſpem & fiduciam omnem locato: ſic procul omni dubio hac arte nobiliſſima cum gaudio perfruere, linguæ interea ſilentium indicens labiis compreſſis. Porro autem non eſt quod tibi perſuadeas, nos dum ſublimationis mẽtionem facimus, vel etiam ſublimamus, ſeparare eam partem quæ ſuperius eſt ab ea quæ eſt inferius. In noſtra enim ſublimatione partes fixæ non eleuantur, ſed partes non fixæ. Nos itaque & corpus & ſpiritum debemus vna figere, vt facilioris efficiantur fluxionis. Atqui ſi calor agat in humiditatem, niger in primis

color apparet: ſin autem calor agat in ſiccitatem, apparet color albus, & in eo albo colore occultatus eſt color rubeus. Sic tamen ſtatuant Alchymiæ ſtudioſi, & iſtius abditæ artis inquiſitores, non poſſe metallorum formas immutari, niſi reducantur in ſuam primam materiam: quæ prima metallorum materia non alia eſt quam mercurius. Metallorum autem hæc in primam materiam, id eſt, in mercurium reductio, quamquam a pleriſque artis indagatoribus impoſſibilis credatur; ob id tamen poſſibilis cenſenda eſt, quod metalla omnia e mercurio & ſulphure in terris generentur. Cum igitur metalla ex mercurio & ſulphure originem habeant, poſſibile dicendum eſt metalla per mercurium in mercurium reducere. Omnis enim res in eam vel maxime conuertibilis eſt ex qua originem ſumpſit. Primum porro huius artis diuinæ opus eſt, lapidis ſicci, puta Solis vel Lunæ in mercurium ſolutio, ſiue duorum alterutrius in ſuam primam materiam reductio, atque eo modo lapis ſiccus in eo ſoluitur & cum ipſo colligatur, vt deinceps nunquam ſeparationem admittant, quoniam vnumquodque ſimile gaudet ſuo ſimili: idque ita vt ſi fiat ſolutio corporis cum coagulatione ſpiritus mercurij, vna eademque opera fiat coagulatio ſpiritus mercurij per corporis ſolutionem: fitque tunc res vna de qua paſſim in libris ſuis Philoſophi loquuntur dicentes: Eſt vna ſola res, quæ vnica & ſola res mercurius noſter exiſtit, in ſe continens proprietatem & naturam metallorum omnium, & ob id mercurius Lapis Philoſophorum nuncupatur a

pleriſque:

plerisque: & quamquam re vera non sit, est tamen clauis metallorum vnica, carens nihilominus tingendi proprietate per se, nisi ipsemet prius tingatur cum anima Solis aut Lunæ. Nullus igitur spiritus agit in alium spiritum, neque etiam vllum corpus in aliud corpus. Ars porro hæc in solo spiritu & corporis anima consistit, puta sulphuris & mercurij: sulphuris enim anima essentia quædam corporea existit. Quamobrem qui extrahere non norit animam e corpore Solis vel Lunæ, atque eandem corpori in proiectione restituere, is tota se sciat aberrare via. Id autem hoc fit qui sequitur modo: Corporis anima, Solis scilicet vel Lunæ, elicitur siue extrahitur medio spiritus mercurij, atque ea ratione mercurij spiritus exaltatur & melioratur, ac anima cum spiritu conformis counitur, quam vnionem animæ & spiritus corpus scilicet Veneris vel Iouis postmodum in se recipit, ac vitam inde accipit perfectionis, atque sic corpora imperfecta a sua imperfectione, ad perfectionem deducuntur ac reuiuiscunt, idque lapidis nostri virtute & benificio. Fit ergo, vti dictum est, noster lapis ex vna sola re, vno tantum magisterio & regimine. nostra enim aqua Philosophica, Solis & Lunæ soluit corpora, siquidem aqua nostra viua existit, continetque ob suam exuberantem perfectionem in se omnia quibus indiget. Hæc igitur inuenta varia apud Philosophos nomina sortitur. Est enim pura illa & transparens aqua in qua & Solis & Lunæ corpus soluitur, neque id proprie in alia vlla re huius mundi. id autem ita sese habere Phi-

losophos audi. Lapis, inquiunt, noster, scilicet corpus Solis vel Lunæ, dissoluit se in spiritu mercurij, qui vna cum eo se coagulat, seipsum nigrefacit, albificat, & rubificat, ac per se animam Solis vel Lunæ recipit, & se cum ipso desponsat, seipsum figit in Solis vel Lunæ anima. Lucianus Philosophus, Lapis, inquit, noster aëreus est & volatilis, extrinsecus frigidus & humidus, intrinsecus autem & occulto suo calidus & siccus. Frigidum autem eius & humidum extrinsecum quod apparet, fumus quidam aqueus est, destructio, alteratio, & nigredo quædam seipsam corrumpens, atque alia quæque secum: fugitque & aspernatur hæc ipsa humiditas ac frigiditas ignem: calidum autem & siccum in ipso occultum aurum est, vel certe oleum illud purissimum corpus penetrans, neque ignem fugiens aut metuens. In Alchemia autem præter calidum & siccum tingit nihil. Fac igitur vt frigidum & aquea illa humiditas & extrinsece apparens conformis atque similis sit calido & sicco intrinsecus occulto: id vide vti vnum quid deueniant, & homogenea, seu vnius naturæ efficiantur in essentia: id est, vt spiritus mercurij anima fiat, & anima corporis fiat spiritus, isthoc nempe modo tingendi ac penetrandi vim nancisceris & potentiam. Humiditatem igitur per certos ignis gradus turbari siue alterari necesse est, igne videlicet lento ac moderato. Lapis porro noster hoc fit modo. Sumito mercurium. Citra ipsum enim ne natura quidem ipsa potis est laborare, vti Rhasis testatur, inquiens, Per solum mercurium possumus perficere

cere opus noſtrum, ita vt omnem naturam ſuperet. Mercurius enim de facili omnibus metallis aſſociatur, eſtque vnicum medium per quod tinctura adſciſcitur. Re vera autem mercurij natura hoc vnum quod ſuæ naturæ eſt, e mineris auri vel argenti ad ſe rapit, atque id quod conforme eſt mercurij ſpiritui cum tota proprietate, & ſic fit terreus Philoſophorum lapis, naturalis, incomprehenſibilis, innumeriſque etiam aliis nominibus à Philoſophis nuncupatus. Iſte autem lapis benedictus quo magis ac diutius decoquitur, tanto magis ſoluit corpus Solis vel Lunæ, & in ſolutione denigratur; & quo magis ſoluit, tanto magis ſiccatur & albeſcit; ac poſt albedinem quo magis decoquitur, tanto magis fit rubeus; idque procul vllo dubio. Lapis itaque noſter iſtiuſmodi e re abiecta & vili exaltatur in rem & theſaurum pretioſiſſimum. Ait enim Geber, Hoc ſolum fit per noſtrum mercurium, per noſtrum ignem, per noſtram aquam, per noſtrum acetum; hoc eſt, per vnicum cum ſuo corpore mercurium. Sumito igitur auri vel argenti foliati, quali pictores vti conſueuerunt, partem vnam, quorum alterutrum quanto fuerit magis tenue, vel ſubtilius, tanto citius in mercurium conuertetur. Impone autem fornaci hermeticæ formatæ vti noſti, addens ei mercurij vt par eſt purgati partes duodecim; & amalgama facito, ponens bene ſigillatum vas in cinere cribrato & ſicco, ita vt materiam cineres cooperiant; ac poſtea ignem adminiſtrato lentum & moderatum, continue coquendo tantiſper quo ad ſapientum dicta compleantur, quæ ex ſignis

agnoſcuntur. Vbi iam menſe vno integro in igne ſteterit ſapientiæ, nigræ oriuntur nebulæ, paulatim ſeſe diſperdentes ac euaneſcentes: hoc eſt, colorem color ſenſim conſumit, quoad tandem vnus permaneat: eſtque hic Philoſophorum mercurius & nigredo perfecta. Porro ſi tres tantum mercurij partes aſſumpſeris, cum vnica corporis parte, nimis parum mercurij habueris, quodque vix trium menſium putrefactioni ſufficiat, atque ita citius quam par eſt, vel quam ipſa mercurij natura deſiderat, mercurij aqua ab Solis vel Lunæ anima abſumetur. Præſtat igitur ſtatim ab initio duodecim mercurij partes cum vnica corporis ſumpſiſſe, & in ſigillato vaſe cineri impoſuiſſe: hinc coqui permittito trium menſium ſpacio. tunc ſiquidem quod occultum erat, videlicet anima, fit manifeſta, & manifeſtum, ſcilicet mercurius, fit occultus. Iſtiuſmodi porro extractio animæ per mercurij ſpiritum non vna vice ſemel & ſimul accidit, ſed vicibus pluribus, quoquo tempore & diebus; nec non ſingulis quibuſque horis & momentis paululum quid, quoad opus ad perfectionem deductum fuerit, vti ſuperius etiam ſcriptum eſt. Id ita atteſtante Seniore dicente: Anima a corpore vna non ſimul exit vice, ſed pluribus elicitur: neque in vaſe continente ſolutionem, ſeu in quo corpus ſoluitur, vnica in eo vice ſoluitur; ſed quotidie in eo paululum quid, atque rurſus alias tantillum, ſecundum operantis & naturæ regimen. Non igitur cogites, vna vice corporis ſolutionem fieri, ſed ſucceſſu temporis ac paulatim, prout ſuperius Philoſopho-

rum

rum dicta dilucide atteſtantur. Huius ergo artis inquiſitorem ac in ea ſeſe exercentem, conſtantis & immutabilis eſſe animi ac voluntatis, apprime neceſſarium eſt. Idque præcipue caueat ne modo vnum opus aggrediatur, ac modo aliud, relicto priore, experiri tentet. Ars enim iſta in multitudine ſpecierum minime conſiſtit; ſed in corpore & anima. Eſt autem re vera medicina noſtri lapidis res vnica, vas vnum, coniunctio vna, vnum regimen atque decoctio: totum enim magiſterium cum re vnica, videlicet mercurio, inchoatur, & cum re eadem, ſcilicet mercurio, terminatur & perficitur; quamtumuis in artis honorem Philoſophi multas alias vias indicent, quales ſunt continua decoctio, commixtio, ſublimatio, contritio, deſiccatio, aquatio, ignitio, dealbatio & rubificatio, & quotcunque aliis nominibus dici poſſit vllo modo. non eſt tamen aliud quam vnicum regimen, quod contritio & decoctio recte dici poſſit. Mercurius denique vti terit vel conterit omnia, ſic ignis ea in perfectionem decoquit. qua de cauſa & Rhaſis ait: Coque, neque te tædeat, ne feſtines, aut inanibus animum torqueas cogitationibus, at cum diligentia patienter optatum finem expectato. Longanus præterea ita inquit: Hoc in opere curato vti vas optime ſigillatum vel clauſum aſſidue ſit, caloremque continuum & vniformem habeat, nulla enim res ſine calore & continuo motu ad perfectionem in hoc mundo deducitur. Si vero ſedulus in operatione fueris, quæcunque decoctionis ſigna diligenter obſeruabis, mentique tuæ infiges. Deni-

que vt vas pro media parte cineribus obrutum ſit, atque altera medietas emineat curabis, idque vt quotidie inſpicere poſſis. Porro autem plerumque 40. dierum ſpacio apparet nigredo quædam inſtar picis, quæ aliud nihil eſt quam corporis iam ſoluti indicium. quicquid enim ſpirituale effectum eſt, ſuperiora ſeu altum petit, & omne terreum in fundo remanet; atque omne leue ſurſum, omne ponderoſum deorſum tendit. Quando autem corpus ab aqua ſua ſolutum fuerit, in nigredinem & eſſentiam incomprehenſibilem reductum, tunc præſto eſt ſolutionis tinctura in nigredine. ſic denique in vnum conueniunt quatuor elementa. Cum aëre enim aquam habes, & cum igne terram. Caue tamen credas (quod ſæpius monui) tincturam vna ſolaque vice elici vel extrahi: ſed aſſidue paululum & rurſus, alias parum quid, vna nempe quotidie nigredo, tantiſper dum ſucceſſu temporis compleatur opus. Quicquid autem cum mercurio ſolutum fuerit id ſeſe rurſum eleuat, quantumuis maior portio continue inferius remaneat. Nigredo porro iſta aliquot nominum millia ſortitur. Nuncupatur enim ignis, anima, nubes, caput corui: & nigredo hæc animam corpori coniungit. Iſtiuſmodi autem nubem noſtra calcinatio producit, id ita atteſtante Auicenna: Initium, inquit, noſtrum corpore & ſpiritu iam coniunctis dum coniungitur in opere, calcinatio dicitur. Ad huiuſmodi calcinationem Philoſophi nos remittentes exemplum ſumere iubent a lignis, in quibus adhuc viridibus tria exiſtunt humiditatum genera, pri-

mum quod lignum a combuſtione præſeruat; alterum admodum pingue & oleaginoſum inflammationis & combuſtionis cauſam adminiſtrat; carentque duo iſta odore, & ab igne conſumuntur; tertium autem vnctuoſum ac quantitate exiguum in cinere remanet, ſubtileque eſt & perenne. Simili igitur modo de lignis iam dicto lapidem noſtrum mercurij & corporis calcinare iubemur. Hinc denique diſces nigredinem expectare primitus, dehinc albedinem: quæ ſi in igne noſtro per ſuum tempus digeratur, ad maximam perfectionem peruentura eſt. Philoſophorum vero ignes, duos tantum in eorum libris reperias, ſiccum quidem vnum, atque alterum humidum; ſiccum quidem communem illum elementalem nihil non abſumentem dixere; humidum autem ventrem equinum nuncuparunt, in cuius humore occultus calor reſeruatur. ſin vero in eo humidum diminuitur vel conſumitur, diminuitur etiam & calor. Phiares Philoſophus de hoc igne agens ita dicit: Igni ventris equini proprium eſt, aurum non deſtruere, corrumpere vel minuere, ſed ob humiditatem ſuam augere potius, cum alioquin id omnis alterius generis ignis alteret & corrumpat, ob eam quam in ſe habet ſiccitatem. Ob id ita loquitur Philoſophus Alchidonus: Noſtra, ait, medicina re vera in igne humido fimi equini occultanda eſt, qui fimus ſapientum ignis cenſetur. Turba recenſet, argentum viuum noſtrũ eſſe ignem, quod corpora comburendi, corrumpendi, ac occidendi, maiorem alio quouis igne, vel elementali etiam ipſo, vim obtineat; Ca-

lid id quoque aſſeuerante: Eſt, ait, ignis quidam nihil non comburens, vt teri etiam poſſit. Idem ait & Senior, inquiens: Eſt aqua noſtra ignis, aurum magis comburens igne elementali, & aqua noſtra omni igne potentior eſt; ſiquidem aurum in ſpiritum conuertit, quod elementalis præſtare nequit, quantumuis & is operi conueniat, tunc enim aqua noſtra corpus penetrat & in terram conuertit poſt in puluerem vel cinerem. Niſi igitur in principio nigredo appareat, nulla etiam albedo ſubſequetur: cumque nigredo apparuerit, ſcito vltra 40 vel 50 dies non durare, eſtque hoc putrefactum corpus. Putrefactio ergo corporis, initium operis eſt, & fit exiguo admodum calore, ne quid ſummitatem petat, nam ſi quid aſcendere contingat, tunc fit ſeparatio mercurij a corpore: quod nõ prius fieri expedit, quam vir & vxor, mercurius ſcilicet & anima, vnum quid deueniant, atque in vnam perfectam eſſentiam nigram coniuncta vel commixta ſint; quæ perfecta duorum, ſcilicet ſpiritus & animæ, coniunctio, deſuper perfecte apparebit, ſolutionis videlicet verum ac certum indicium. O fili ex animo chare, ob id putrefactioni ſeu ſolutioni diligenter intentus eſto, quam exiguo calore contingere neceſſe eſt, in ventre ſcilicet equino exigui caloris, hoc eſt, in mercurio, exili calore opitulante. Quod autem argentum viuum fimus equinus ſit, patet per Seniorem ita dicentem: Corpori ſoluto quod ſeptimo die ſolutum eſt omni quatriduo fimus, id eſt, mercurius renouandus eſt, hoc eſt, addendus eſt. Hæc autem innouatio ſeu

additio

additio propria imbibitio dicitur, maceratio, solutio & penetratio in solidas & duras auri vel argenti partes, eorum poros penetrans, idque vt ea ratione ex eis animam elicere possimus, per nostrum mercurij spiritum. Hoc certo statuito, statim post solutionem, id quod purum est in suo simili incrementum accipere, vti manifeste apparet in nucleis, qui si aliquot diebus calori terræ committantur intumescunt, putrescunt, & quod in eis purum & bonum existit tandem ex ipsis emergit ac prouenit, crescit & in numerum millesimum multiplicatur & augmentum accipit; id vero quod impurum est perit ac euanescit. Ideo igitur & nos materiam nostram digerimus, vt intumescat, & quod purum est ex ipsa, accrescat,& augmentum accipiat, superfluum vero euanescat. In nostro itaque magisterio nihil præter solutionem corporis in aquam Philosophicam necessarium est. Nisi enim nucleus corporis Solis vel Lunæ eleuetur, seu reducatur in primam suam essentiam vel materiã, frustra in vanumque omnem laborem sumseris. Corpus siquidem per se solum efficit nihil, nisi solutum debite fuerit, vti iam sæpius dictum est. solui vero aliter nequit quam cum suo mercurio. Omnis etenim res per quam crescit causam, per eandem etiam destruitur: neque quicquam naturæ magis consentaneum est, quam vt quæque res vinculis quibus vincta est soluatur ac liberetur eius rei medio a qua sumpsit originem, scilicet mercurio. Porro autem viæ & modi soluendi corporis alicuius varij sunt & multiplices: quidam in loco fit frigido

& sub-

& ſubterraneo, humido, vel etiam arenoſo, prout aquæ mercuriales; alter ſuperiore præſtantior fit in calore ſicco, quod in aquis mercurialibus non contingit. Hæc autem noſtra aqua fit in cinere ſicco vaſe clauſo & ſigillato, eſtque via cum primas tenens tum cæteris longe melior; alter autem, de quo ſupra memorauimus, incertus & deſtructiuus eſt. Ob id ergo Philoſophi ſolutionem ſuam dicunt eſſe vnicam, quæ corpus ſiccum in aquam conuertat, quaſi dicant: *Fac mercurium per mercurium, ſiue per aquam mercurialem.* Ita enim corpus ſiccum propriam recipit mercurij humiditatem, atq. ſic res vna & fiunt & nominantur, quoniam nihil eis addimus extraneum quicquam. In eo namque neque ſupereſt quidquam, neque deeſt aliquid, quod deſtructioni anſam dare queat. Si vero materiã tuam in penu aliquo in aquam nubis loco humido conuertere tentaris, deſtructionem iſthinc accipiet, quoniam loco humido materia inficitur ac intoxicatur. Multos vtique multa dicentes reperias artis huius prorſus ignaros, principiorumque metallicarum ſpecierum plane inſcios, artem hanc diuinam hiſce Ariſtotelis e 5to Metheor. verbis calumniantes & ſpernentes, quod is præfato loco ita dicat: Sciant inquiſitores artis, ſpecies metallorum immutari non poſſe, velut ex ære, ſtanno, plumbo, ferro, argentum vel aurum vt fieri queat. Idque vti dicunt ita ſe habet: nulla ſiquidem interueniet immutatio, niſi prius in primam ſuam materiam & eſſentiam aquæ mercurialis reducantur ac reſoluantur, atque ſic in aliam eſſentiam quam prius

erant reductæ sint. Audi quid sequatur: Magisterium nostrum formam corporum maxime destruit: vidimus enim corpora in argentum viuum conuersa, quod multi hominum impossibile credunt, estque in causa sola supina ipsorum ignorantia, quod nesciant omnia metalla generari & originem accipere ex mercurio & sulphure. Porro autem si ex mercurio metalla cuncta originem ducunt suam, quid quæso obstet quin cum mercurio in mercurium rursum reduci queant? Eius possibilitatis exemplum accipe: Vt glacies calore rursus in aquam reuertitur, ita etiam corpora quæque crescunt & incrementum accipiunt omnia viuentia, quod & in arboribus, plantis, nec non in animantibus conspicuum est, vnicum enim granum aut nucleum aliquot mille millia producere cernimus, & vnam arborem innumeros surculos. Si ergo & metalla e terra nascuntur ac in ea crescunt, verisimile vtique est & credibile, & augmentum & incrementum, vt cæteris, ipsis quoque dari posse. Sat superque iam de rerum conuersione a nobis dictum existimamus; cunctisque satis iam probatam & cognitam ex prædictis conuersionis possibilitatē: quod ipsum Philosophos induxit vt ita dicerent: Quicumque aurum vel argentum ita destruere norit, vt postmodum in aurum vel argentum reduci non possint, is ad magisterium peruenit. facilius enim est corpora destruere, vel eorum formas conuertere, quam re vera est quod accidere videmus, cuprum scilicet recipere tincturam auri & fieri orichalcum, ex plumbo fieri cerussam & minium, & e

minio

minio vitrum, remanente ſemper plumbi eſſentia. Atque ita ſingula in propria & inconuertibili ſua manent eſſentia. Hinc prudens quiſque facile collegerit, nullam recte corporis ſolutionem fieri poſſe, quam in proprio ſuo ſanguine; neque quidquam vtilitatis poſſe obtingere vel commodi, niſi prius corpus ſolutum fuerit: cuius ſolutionis modus & via breuibus dilucide ſequitur. Accipe in Dei omnipotentis nomine, mercurium ſepties optime ſublimatum, ac eundem rurſus viuifica per calcis viuæ partem vnam, atque eiuſdem ponderis partem dimidiam tartari crudi, & ſic optime purgatus erit; vel purgato ſane quam noris optime, vtque commodum cenſebis. Huius ita purgati mercurij ſumito partes tres, & auri vel argenti in tenuiſſimas lamellas vel folia redacti, qualibus pictores vti conſuerunt, partem vnam, impone lanci vel ſcutellæ ſolutionis, atque in ea optime terantur & commiſceantur vt amalgama inde fiat. Hoc facto ac peracto alias nouem mercurij partes vt par eſt purgati ei addito, & impone vaſi tibi cognito, atque id cineri cribrato & ſicco imponito, ita vt cineres materiam paululum quid excedant, adminiſtrando ei calorem mediocrem & continuum. Atque ita ſenex in balneo ſedet, quem in vaſe optime ſigillato & clauſo contine, quoad mercurius viſibilis inuiſibilis fiat & occultetur, corpus autem inuiſibile & occultum compareat & fiat viſibile. Atque hoc id ipſum eſt quod Philoſophi ſolutionem, & ſublimationem & infinitis variiſque aliis nominibus nuncuparunt; cum re vera vna tantum res, vnum

opus

opus, vnum regimen, vas vnum, & vnicus furnus existat. Porro autem quando in mediocri calore 40. dierum steterit spacio, desuper comparere incipit nigredo quædam instar picis, quæ caput corui Philosophorum est & sapientum mercurius. His finem facientes, soli Deo & honorem & gloriam adscriptam volumus.

CONCLVSIO SVMMARIA *ad intelligentiam Testamenti seu Codicilli Raymundi Lullij, & aliorum librorum eius; nec non argenti viui, in quo pendet intentio tota intentiua, quæ aliter Repertorium Raymundi appellatur.*

AQVA vero nostra Philosophica secreta tribus naturis componitur, & est aquæ mineræ consimilis, in qua lapis noster dissoluitur, & in ea ipsa terminatur, dealbatur & rubificatur. Non enim operi, coniungitur nisi essentialiter, humefaciens partes lapidis resoluti, cuius phlegma præseruat totum opus a combustione, mediante industria artificis. Verumtamen noueritis, totam eius substantiam, scilicet phlegmaticam, decoctione a toto composito separari. Est autem phlegma nostrum substantia media, & aqua mercurij prima, in qua prin-

cipium

cipium lapidis eſt; ſcilicet eius diſſolutio, nec intrat cum ea, quamuis ſe viciſſim complectantur naturæ nexu, ab altero, niſi tanquam phlegma exhumectans partes rerum, & non generans vel augens, vnde radicales humores ſunt eſſentiales partes lapidis ſibi ipſis rebus imbibitæ, ex quibus conſtant partes rerum duntaxat; per iſtud vtique augetur & nutritur. Eſt autem iſtud vere germinata natura, quæ quanto magis in ſuo vaſe per ignem exigentem cum phlegmate decoquitur, tanto magis inſita cum ſingulis partibus decoratur, & ſic aptior redditur vt ex ipſa fructus multiplex generetur: hoc enim dicitur natura media, & lapis mercurius, & arſenicum, & ſpiritus ſubtilis duabus participans extremitatibus, ſulphur album & rubeum, ſtringens mercurium, & conuertens ipſum in argentum melius quam de minera. Phlegma autem in quo decoquitur ſulphur noſtrum quod dicitur aurum; iſtud eſt in quo intercipitur ſpiritualiter aër humidus in mercurij ſubſtantia, donec & ipſius pars media in aquam condenſetur, actione caloris corporis mediante. Nam corpus metallicum velut virtus agens, operatur tanquam maſculus, & iſtud ideo quia de proprietate ſui eſt, quoniam calor ipſius in humido concluditur aëreo, qui cum intrat poros mercurij frigidi, patitur & alteratur paulatim & paulatim: atque ita quoque illud quod digeritur per calidum naturale, id reſoluitur in aquam per minima, quoniam de proprietate cuiuſlibet elementi eſt habere contrarietatem in ſe, & agere in ſuum contrarium: partes autem quæ in aquam

non

non resoluuntur, sunt in forma argenti viui amalgamati cum corpore, quæ resolui nequeunt, nisi magis subtilientur per sublimationem. Et ideo lutum si volueris frigiditate resoluere, magis ipsum coagulas. Calor autem corporis digerit quidem & resoluit mercurium, quantum densatur, in aquã cum suis partibus mercurij alibi dissolutis. Et sic phlegma nostrum ex tribus constat substantiis essentialibus, quæ quidem essentiæ elementorum sic diriguntur ad inuicem, quod plurimum vnius cuiusque cum plurimo alterius, ac minimum vnius cum minimo alterius, alterans est ad inuicem qualitatibus ipsorum. Vnde Alexander: Quod mixtionem elementorum faciunt, eo quod elementa quosdam effectus melius operantur in mixto quam in simplici, & id ideo quoniam in tali mixtione remanent propriæ essentiæ elementorum, quæ sunt propriæ virtutes operatiuæ, vt patet per aquam nostram philosophicam quæ dicitur metallina, eo quod ex solo genere metallico generetur. In hac enim aqua sulphuris est dispositio media, quæ est inter mollitiem & duritiem, mediante qua fit transitus a mollitie argenti viui ad duritiem metalli perfectissimam. Vnde, inquam, fit per dissolutionem determinatam, quæ participat duobus contrariis: nec est ista dispositio essentialis argenti viui & sulphuris in sua substantia seu natura, sed solum pars illorum, ex quorum alteratione, essentialium partium ad terream substantiam mediam vnanimiter peruenitur. Ideo fixionem quandam suscipit, tanquam spiritus fixioni proximus in re-

quiem fixionis; quoniam cum fixatur ſeparatur phlegma eius per deſiccationem a toto compoſito generato. Ad ſuſcipiendum ergo phlegma condenſa aërem per calidum & ſiccum, & ſiccum rarifica, & calidum & humidum habebis. aëreum vaporeum ſpiritualiter ſuſcipitur in auri materia, & aliorum mixtorum, & ideo in ipſum citius reſoluuntur. Aqua vero noſtra poſt eius ſeparationem per alembicum eſt in colore clara ſicut aqua communis, & in principio ſuæ operationis per filtrum, eſt in colore pallida, ſicut altitudo palearum tritici: cuius cauſa eſt digeſtio, conuertens corpus ad citrinitatem: & antequam ſeparetur per filtrum, eſt nigra: cuius cauſa eſt corruptio terreſtris tenebroſi corporis, lucidiores partes ſpiritus obtegentis in forma corrupta, quamuis ita non ſit. Et poſt eius decoctionem completam, quod fit per rarefication em, eſt candida in occulto: qui quidem candor non eſt aliud quam ſpiritus a corpore reſolutus deportatus a phlegmate. Phlegma vero variatur in colore. quotieſcunque autem ſpiritus variatur, & toties phlegma: quoniam phlegma non variatur niſi in forma: nam ſpiritus in qualibet decoctione variatur in colore; & certe materia etiam in pondere augmentatur in virtute & potentia. Cum enim nigrum imbibitur cum aqua poſt ſeparationem per filtrum, albeſcit materia nigra ſuper porphyde: ſed ſtatim cum materia conteritur albedo occultatur in materia, & ſic facit donec virtus aquæ vincat virtutem terræ. Attamen antequam ad terminum eius verum in colore terræ

peruene-

peruenerit, multi & quaſi infiniti colores apparebunt, de quibus certiſſime neſciret aliquis dare intelligentiam. Facit enim terra in decoctione ſua cum aqua ſua, multas glanduloſitates ſiue gibboſitates ad modum ampullarum, in quibus apparent omnes colores mundi, ita reſplendentes, quod raro quis crederet, niſi qui videt vel expertus eſt. Subſtantia vero huius aquæ eſt ſpiritus corporum lucidus atque illuminans, qui in radice naturæ metallo erat vnitus & coagulatus cum igne, ſcilicet virtute minerali, & cum coagulatus eſt inuenitur participans duabus naturis & extremitatibus. eſt enim partim fixus & partim volatilis, & ideo dicitur medium in quo eſt virtus fixatiua: & dum figitur ſequitur naturam propriam metalli. Hoc enim vocatur ſulphur & liquor durus, ad modum ſpiritus in puluerem ſublimatus. nunquam enim poteſt creari liquabilitas in materia aliqua, niſi mediante iſto ſpiritu liquoroſo. iſte enim ſpiritus generatur ex ſubſtantia duorum humorum contrariorum, quoad caliditatem & frigiditatem, & vnius generis quoad ſuam radicem, quorum vnum eſt Sol, & aliud argentum viuum in vno gradu. In alio vero gradu eſt Luna & argentum viuum. Veruntamen hoc argentum viuum differt in certo gradu quando cum Sole coniungitur: cum non ſit argentum viuum in natura ſua, quod alias habeat virtutes fortiores, quæ ſunt caliditatis. Argentum viuum tanquam materia patiens, iungitur Soli tanquam agenti: non autem Sol iungitur cum argento viuo vt maſculus cum fæmella; ſed e con-

uerſo; quoniam realiter natura argenti viui media dominatur in auri materia & corrūpit ipſum, ac ſi ageret in eo ſicut maſculus. non autem ſolummodo corrumpit ipſum, ſed alterans ingreditur humiditatem fixam & calidam Solis, cum ſuo ſpiritu; & hoc mediante illo ſpiritu, in quo deportatur vtriuſque germen, vnde Sol non iungitur cum argento viuo, nec argentum viuum cum Sole, niſi per ſubſtantiam mediam; nec vnum diligit aliud niſi per talem diſpoſitionem naturæ affinem, quorum ſubſtantia vna, ſcilicet argenti viui, ſupereminet ſubſtantiam Solis in quadrupla ſui parte, & Lunæ in dupla ſui parte, eo quod frigidior Sole, quoniam virtutis actiuæ maiores in Sole quam in Luna in principio confectionis lapidis. Veruntamen quantitas materiæ Solis non excedit precium in veritate vnius aurei, plus autem excedit in pondere materia Lunaris, eo quod terreſtrioris naturæ & fragilioris virtutis eſt, & ideo cum auri natura confortatur, & ſine ipſa debilitatur. Nam Luna quamuis frigida ſit apud omnes; calida tamen eſt in certo gradu, ſed non habet tantam virtutem, quod poſſit agere in materiam paſſiuam argenti viui, niſi ei ſuccuratur per materiam magis actiuam. Et ideo terra ſulphuris præparatur cum arſenico ſicut argentum viuum cum ſulphure noſtro. Sulphuris autem præparatio; eſt, quod ſi coquatur cum oleo ſuo, cum modico fermenti, infra octo dies reuertetur in puluerem rubicundiſſimum tingentem argentum in aurum.

Vbi

Vbi seruetur materia quæsita.

SEPARATIO autem aquarum, & cur debeant poni in opere, & quid de ipsis debet fieri, iam enarratum est, & in libris etiam Philosophorum satis superque. Dixi quod materia quæsita reseruatur in humido phlegmatico conseruatiuo, & putrefactio cum sua spissitudine in furno secreto Philosophorum.

Qualiter fiat destillatio.

DESTILLATIO fit per venas vitri, absque separatione materialium, immo cum coniunctione in furno nostro secreto, & est nostra sublimatio. Et iam de mediorum naturis satis enarratum est.

Quo modo corpora nutriuntur.

CORPORA autem non nutriuntur, sed solummodo germen eorum in seipsis cum decoctione ignis varie recto, quoniam in hoc est aspicienda practica. Nam & corpora non sunt nisi eorum ipsorum germinis pabula. quoniam hoc certum est, quod corpora mutantur, alterantur, & reducuntur ad naturam germinis spermaticalis. Ipsum germen augmentatur congelando, & nutritur se ipsum dilatando. sicut puer in lacte matris, ita quoque corpora tanquam fercula eius resoluuntur, & in ipsum conuertuntur. Sicut

quoque diſſolutio corporum tunc fit cum ſpiritus congelatur & mutatur, & congelatio ſpiritus fit cum corpora diſſoluuntur. Coagulatio vnius naturæ non fit abſque diſſolutione alterius; nec e conuerſo. Et forma aduenientis non poteſt fieri abſque corruptione formæ præexiſtentis. Forma quidem corporum propter formam ſpirituum aduenientem, & tota ſubſtantia corporum cedit in alimentum & formam ſubſtantialem: ſicque omnis ſolutio mortificatio eſt; ſicut omnis congelatio viuificatio eſt, & cauſa vitæ propinquiſſima.

De forma vaſis.

FORMA quidem vaſis artificialis in quo dictum opus perficitur, talis eſt, æqualis ſcilicet formæ vaſis naturalis cum ſuis longis venis in quibus fit puri ab impuro ſeparatio: nec eſt alterius formæ, & eſt vnicum vas cum duobus cornibus. nam ad hoc debemus præcipue naturam imitari.

Quomodo fiat fermentum.

FERMENTVM autem fit poſt originem infantis, quo ſibi adminiſtretur optimum ferculum, vt corpus exiſtens cum tota ſui ſubſtantia debile, magis ac magis ſuſtentetur, & reducatur in naturam fortiorem. Nam fermentum nihil aliud eſt quam cibus cibalis, conuertibilis in eſſentiam infantis, vt totum efficiatur opus vnius

 naturæ.

naturæ. Veruntamen in tali cibo præcedit ipſius præparatio, nam hæc fermentatio cibalis debet eſſe de ſua propria natura, & ſibi aſſimilari: quoniam niſi aſſimilaretur ei, nunquam in eorum naturam incorporaretur, vel conuerteretur in naturam ſulphuris.

Quare fermentum præparetur.

PRÆPARATVR quidem & ſubtiliatur, vt pure ſit nutrimentalis & facilis conuerſionis. tunc talis eſt natura noſtri lapidis, vt ſit conſeruatiuus & confortatiuus. Quanto ergo magis præparamus fermentum, tanto magis habile erit ad conuertendum & digerendum.

Quot modis fiat præparatio.

FIT autem præparatio multis modis. Vno modo per diſſolutionem in aquam lapidis, & per reductionem: alio modo per calcinationem & lauationem cum argento viuo, & eleuationem eius ſubſtantiæ mediæ. Deinde per diſſolutionem lapidis, & aquarum coniunctionem, & per iſtum modum eſt faciliter conuerſiuus. Alio modo per incerationem calcis, & per diſſolutionem eiuſdem. Alio modo per vacuitatem ſuæ naturæ terreſtris, duræ, & compactæ. Lapis enim noſter eſt coniunctio Solis & Lunæ, donec Sol traxerit ſubſtantiam Lunæ ad ſuam naturam & colorẽ. Hoc vero fit cũ igne lapidis. Deinde continuetur donec perficiatur cum rebus ſui generis.

Quomodo medicina ingressum habeat.

MEDICINÆ autem tam albæ quam rubeæ eundem possunt ingressum habere in id quod eis coniungitur per minima. Si autem volueris proiectionem facere super corpus, pone de eius spiritu in elixire, & per tale artificium habebit ingressum in illa materia. In hoc latet practica apud complures. Nota quod quando fit coniunctio Solis & Lunæ, fit sicut corpus simplex, quod recipit formam cuiusque quod ei adiungitur. Cum igitur lapis fit ad album vt dixi fit.

IOHANNIS PONTANI, *summi Philosophi, epistola, in qua de lapide quem Philosophorum vocant agitur.*

Ego Iohannes Pontanus multas perlustraui regiones, vt certum quid de Lapide Philosophorum agnoscerem, & quasi totum mundum ambiens, deceptores falsos inueni, & non Philosophos. semper tamen studens, & multipliciter dubitans, veritatem inueni. Sed cum materiam agnoscerem, ducenties erraui, antequam veram materiam, operationem, & practicam inuenissem. Primo materiæ operationes, putrefactiones nouem mensibus cepi, & nihil inueni: etiam in balneo Mariæ per tempus aliquod posui, & similiter erraui. Enimuero in calcinationis igne tribus mensibus posui, & male operatus sum: omnia destillationum & sublimationum genera prout dicunt seu dicere videntur Philosophi, sicut Geber, Archelaus, & alij fere omnes, tractaui, & nihil inueni. Denique subiectum totius artis Alchimiæ omnibus modis qui excogitandi sunt, & qui fiunt per fimum, balneum, cineres, & alios ignes multiplicis generis, qui tamen in Philosophorum libris reperiuntur, perficere tentaui, sed nihil boni repperi. Quapropter annis tribus continuis in Philosophorum libris studui; in solo præsertim Hermete, cuius verba breuiora totum comprehendunt Lapidem; licet obscure loquatur de superiore & inferiore, de cælo & terra. Nostrum igitur instrumentum quod ma-

teriam deducit in eſſe in primo, ſecundo, & tertio opere, non eſt ignis balnei, neque fimi, neque cinerum, nec aliorum ignium quos Philoſophi in libris ſuis poſuerunt. Quis igitur ignis ille eſt, qui totum perficit opus a principio vſque in finem? certe Philoſophi eum celauerunt. Sed ego pietate motus eũ vobis declarare, vna cum complemento totius operis volo. Lapis ergo Philoſophorum vnus eſt, ſed multipliciter nominatur, & antequam agnoſcas erit tibi difficile. Eſt enim aqueus, aëreus, igneus, terreus, phlegmaticus, colericus, & melancholicus; eſt ſulphureus, & eſt ſimiliter argentum viuum, & habet multas ſuperfluitates, quæ per Deum viuum conuertuntur in veram eſſentiam, mediante igne noſtro: & qui aliquid a ſubiecto ſeparat, putans id neceſſarium eſſe, is profecto in Philoſophia nihil nouit, quia ſuperfluum, immundum, turpe, fæculentum, & tota denique ſubſtantia ſubiecti, perficitur in corpus ſpirituale fixum, mediante igne noſtro. Et hoc ſapientes nunquam reuelarunt: propterea pauci ad artem perueniunt, putantes aliquid tale ſuperfluum & immundum. Nunc oportet elicere proprietates noſtri ignis, & an conueniat noſtræ materiæ ſecundum eum quem dixi modum, ſcilicet vt tranſmutetur, cum ignis ille non comburat materiam, nihil de materia ſeparet, non ſegreget partes puras ab impuris (vt dicunt omnes Philoſophi) ſed totum ſubiectum in puritatem conuertit: non ſublimat ſicut Geber ſuas ſublimationes facit, ſimiliter & Arnoldus, & alij de ſublimationibus & deſtillationibus loquentes

quentes in breui tempore perfici. Mineralis eſt, æqualis eſt, continuus eſt, non vaporat niſi nimium excitetur, de ſulphure participat, aliunde ſumitur quam a materia, omnia diruit, ſoluit & congelat, ſimiliter & congelat & calcinat, & eſt artificialis ad inueniendum, eſt compendium ſine ſumptu aliquo, ſaltem paruo: & ille ignis eſt cum mediocri ignitione, quia cum remiſſo igne totum opus perficitur, ſimulque omnes debitas ſublimationes facit. Qui Gebrum legerēt & omnes alios Philoſophos, ſi centum millibus annorum viuerent non comprehenderent, quia per ſolam & profundam cogitationem ignis ille reperitur, tunc vero poteſt in libris comprehendi, & non prius. Error igitur iſtius artis eſt non reperire ignem qui totam materiam conuertit in verum lapidem Philoſophorum. Studeas igitur ibi. quia ſi ego hunc primo inueniſſem, ego non erraſſem ducenties in practica ſuper materiam: propterea non miror ſi tot & tanti ad opus non peruenerunt. Errant, errauerunt, errabunt, eo quod proprium agens non poſuerunt Philoſophi, excepto vno qui Artephius nominatur, ſed pro ſe loquitur: & niſi Artephium legiſſem & loqui ſenſiſſem, nunquam ad complementum operis perueniſſem. Practica vero hæc eſt. Sumatur & diligenter quam fieri poteſt teratur contritione phyſica, & ad ignem dimittatur, ignisque proportio ſciatur, ſcilicet vt tantummodo excitet materiam. & in breui tempore ignis ille abſque alia manuum appoſitione de certo totum opus complebit, quia putrefaciet, corrumpet, generabit, & perficiet,

perficiet, & tres faciet apparere colores principales, nigrum, album, & rubeum. Et mediante igne nostro multiplicabitur medicina, si cum cruda coniungatur materia, non solum in quantitate, sed etiam in virtute. Totis igitur viribus tuum ignem inquirere scias, & peruenies; quia totum facit opus, & est clauis omnium Philosophorum, quam nunquam reuelauerunt. Sed si bene & profunde super prædicta de proprietatibus ignis cogitaueris, scies, & non aliter. Pietate ego motus hæc scripsi, sed vt satisfaciam, ignis non transmutatur cum materia, quia non est de materia, vt supra dixi. Hæc igitur dicere volui, prudentesque admonere, ne pecunias suas inutiliter consumant, sed sciant quid inquirere debeant: eo modo ad artis veritatem peruenient, & non aliter. Vale.

Ignoti.

EST quædam ars nobilis, dicta Alchimia,
Quam non quærat mobilis, vel stans in fantasia,
Petit enim clericum valde industriosum,
Raro vero laicum nisi summe ingeniosum,
Sinite corruptibilia, sales, & atramenta,
Et quam plura alia, quæ corrumpuntur per cæmenta.
Est firma tinctura in mercurio latens
In igne permansura, vt Sol, vel Luna nitens:
Non tamen vulgari, sed crescente vt herba.
Oportet speculari sapientem hæc verba:
Anima extrahitur spiritu mediante,
Et mundificabitur igne cooperante.
Hæc estque Lunaria arbores & folia
Nomina habens varia, vitrea scandens dolia.
Quæ cum sublimatur clara atque munda,
Ex eâ destillatur permanens sic vnda,
Cum qua etsi tingitur particula nostri æris,
Estque vilis precij in quo latet totum.
Plures sunt huius inscij: Philosophis est notum.
Lapis trinus est & vnus, spiritus, corpus, & anima.
Deificum est quoque munus bene sapere hæc nomina.
Hæc est vera comparatio ipsius Trinitatis,
Et nulla est deuiatio respectu vnitatis.

Alterius.

ALCHIMIA extat ars creabunda
Vt in eius patet practica.
Neque puluis, calcx, nec vnda

Corpora tingunt metallica.
Alumina, ſales, ſulphura, terræ,
Corpora nequeunt transferre.
Via artis neque phyſica;
Sed nec radices herbæ, nec vermes,
Baſiliſcus, neque ſtellio:
Sed hæc res tingens, vt ait Hermes
Solum latet in mercurio.
Si non tingunt herbæ, nec liquores,
Quid vis tingat quam Mercurius?
Non vulgi, ſed auri portans flores,
Et exiſtens auro purior.
Hoc eſt ixir verum & perfectum,
Et tingens aurum in melius.

Alterius antiquiſſimi.

SI felicitari deſideras, vt benedictionem Philoſophorum obtineas,
Viuit Deus in æternum, viuat hæc veritas tecum.
Ouum in mundo obſeruabis quod proprie dicitur Philoſophorum.
In teſtudine manet, album & rubeum continet.
Vnum maſculus dicitur, aliud fæmina nuncupatur.
Animale, vegetale, minerale nullum reperitur tale.
Actiuam habet vim & paßiuam, ſubſtantiam mortuam & viuam;
Secum habet ſpiritum & animam, quam vocat ignarus rem vilißimam.
Quatuor continet elementa in ſuo gremio contenta.
Vbique eſt, vbique reperitur, ab omnibus communiter habetur:

Paruo emitur precio; libra habetur vno solido.
Ascendit per se & nigrescit; descendit & albescit;
Crescit & decrescit; res est quam terra producit.
De cælo descendit, pallescit & rubescit,
Nascitur, & moritur, resurgit, & post æternum viuit.
Per plures vias tendit ad finem: sed decocto eius fit per ignem.
Est lenta, modesta, fortis, & augmentatur,
Vsque quo securius quiescendo rubificatur.
Hic est iuxta votum dictus LAPIS PHILOSOPHORVM.

Alterius.

AD bonam pastam vtere aqua atque farina;
Nec non fermento, modo simili in lapide nostro.
Hæc tria reperies physicorum dicta referre.
Est in mercurio secretum; in reliquo nullo.
Mortificat sese Saybat, & viuificat se.
Nam metallorum cunctorum cum sit origo,
Ex eo cum constent, sic resoluentur in illum.
Finis, principium, hic extat, & est mediator.
Extrahit, inducit, animam suo corpore figit.
Putrescit, lenit, tribuit bonum tibi pondus;
Efficitur tale cui permiscebitur ipse.
Qualia mercurio seminabis, talia metes:
Quibus dum immoritur, ex se fructum dare fertur.
Solis & Lunæ sunt sulphur mercuriusque
Opera naturæ, longa per tempora cocta,
Horum non solum sed cunctorum aliorum,
Eadem principia cum nos habeamus vt ipsa,
Cur non tunc opera faciemus sic veluti ipsa?

Æmula

Æmula naturæ ars semper dicitur esse,
Nam sequitur aliis prœliis artem fugitiui
In quantum potest, licet ipsa plus ea poßit.
Natura iungit sua facta, in se quoque creat.
Ast cum fermento naturæ, quod caret illo,
Ars curtat facta, sine quo non perficit ipsa.
Nam sine fermento nihil pinsare memento.
Hæc cum feruore consueuit & ars breuiare.
Omnis in interitum ab imis trahitur ægre.
Qui seraturas seratas vult reserare,
Caudæ caput iungat: sic tu poteris reperire
Quid sit fermentum, tibi do tale documentum.
Est panis similis pani, sic vitaque vitæ.
Extat fermentum per consimile specierum.
Nam generat simile semper vnus sibi quisque.
Ex semine proprio fit quiduis, vt ab vpupa quoque,
Sic similis similem generat, leporem quoque lepus.
Qualia quis seminat, is semper talia metet.
Quod lapis est scimus, quis sit si scire velimus,
Extra nos imus, nisi donet summus & imus.
Hic lapis a spiritu, simul & a corpore nasci,
Nec non ab anima nominatur, sic bene iuncta
Ac fermentata dicuntur hæc tria mixta.
Arsenicum fore dic animam, sed spiritus extat
Argentum viuum, calx corpus dicitur esse.
Spiritus ac anima fermentant corpora munda,
Tingens & mergens calx figit, & est elixir.
Quod Saybat figit, quod corpora plurima tingit,
Extat arsenicum nostrum, de corpore tractum,
Extat hoc medium quod nunquam in corpore fuit,
Perficit hoc dicta nullius egens in alchimia.
Hac vtaris aqua fructus producitur a qua.

Albat,

Albat, purificat, separat, iungit elementa,
Par & mercurio tunc laton se decorabit.
Quod solem causat, nec non Sole mediante
Firmare debes spiritus in corpore omni
Corpus dissolui bene dum id solicitaui.
Et est vita rei cuiusque, mundique caput,
Vt separat Iouem stare quo nunquam stabilitur,
Cum soluens sit Azot imbibitur & adaquatur
Nouies vel incirca, ita totum videbitur Azot,
Et volatile fit, cum spiritu quo adiuuetur.
Recte figatur vt non separetur ab illo,
Vertitur in animam corpus totum & vice versa,
Et fit elixir mutans Saybat omne.
In liquido Saybat opus omne figere debet,
Intus & exterius, vtrisque vel modis vtor:
Imbibet tibi ipsum, quia merito Sol soluendo
Si non sufficiant memorata renouabo.
Exterior ignis non excipit interiorem
Alio calore superueniente qualicumque:
Sed si firmatur, scoria totum similatur.
Hoc cum fermento fermentum fortificatur.
Argentum volitans est ignis corpora adurens,
Mortificans, fixans, stringens, regimine solo,
Quo plus miscetur tanto plus attenuatur
Azot, associatio lapidis contritio frequens
Perficit, & vnit, ars solum vasque requirit.
Est ignis graduum non huius ratio tota
Nunc caput est ignis humidus interiorque diuersus,
Est tepidus ignis, bulliens quasi, & bulliens est,
Quartus est feruens, sed quintus igneus extat.
Ignem praeterea tribuere si scies igni,
Mercurium cum mercurio, tibi sufficiunt haec.

 Sed

Sed cautus si sis in primis cum sociabis
Partem cum parte, tunc signa hæc bene tene.
Primo pinguescit, nigrescit, plus & aquescit,
Quarto congelat, iam tunc es certificatus
Processus debite, sic coruus vult variare
Est ideo internus ignis, humidusque diuersus:
Mercurius penetrat, corpus figit, anima tingit.
Fermentum in alchimia semen agens estque paternum.
Sed patiens erit Saybat, semen estque maternum
Imbibitur quoties cinere, id totiesque curatur,
Et humiditatur quousque color variatur.
Nam emendatur, gaudet auro nisi solo,
Putrescit, soluit aqua mercurij, densat quoque tingit,
Extrahit hinc florem, fluxat, vexat separata,
Ponderat & leuigat, mortificat, atque vitam dat.
Ingressum facit, miscens suprema profundo
Est in mercurio quidquid quærunt sapientes:
Nam sub vmbra sua viget hæc essentia quinta.

Alterius ignoti.

EST lapis occultus, secreto fonte sepultus,
Rupibus ex mundis, consurgens aureus vndis:
Iste salutaris lapis euenit orbiculatis,
Et magis in vena reperitur sanguine plena.
Ars vnam poscit rem quam quiuis bene noscit:
Huic aptat aliam rem, res est tamen vna.
Est artis forma mundi rectissima norma.
Sed non tentetur, naturam ni comitetur.
Egregiæ prolis mater est stirps regia Solis,
Solem concipiat, & prægnans germine fiat:

Si pariat

Si pariat ventum, valet auri pondere centum,
Si non, damnetur sine germine projicietur,
Candida si rubeo mulier sit nupta marito
Mox complectuntur, complexaque concipiuntur:
Per se soluuntur, per se quoque conficiuntur,
Vt duo quæ fuerant vnum quoque corpore fiant.
Semen vt humanum puro de sanguine natum,
Renibus extractum, matricis corpore sumptum,
Fæmineo iunctum cum semine fit velut vnum,
Dat calor innatus sibi vitæ præmia flatus.
Dirue rem captam tibi, per lympham satis aptam,
Leniter extractam, sic massam contere factam.
Sed ne festines, naturæ suspice finem,
Cuius bis sena pars insit germine plena.
Et dissoluatur lapis, & liquor egrediatur,
Ac vas claudatur iugiter dum conficiatur,
Ignis confletur, lentissimus ignis ametur,
Non extinguatur totum nisi perficiatur.
Hic lapis ex actu cum puluis fit sine tactu
Simplex, corrosus, niger, multum preciosus,
Instat conceptus, liquidi sic fonte receptus,
Et cinis albescat, & toto fonte liquescat.
Ignea vis mollis si sit moderata sub ollis,
Vertitur in mundam niger cinis æreus vndam:
Rerum mixturam coitus notat & genituram,
Semina miscentur quæ lac quasi mixta videntur.
Tunc lapis in viuam vitæ conuersus oliuam
Cernitur, hinc primo totum releuetur ab imo:
Per se stillabit, manabit, seque lauabit,
Separat, inspirat, sese coniungit & aptat.
Cumque fluens munda stillis manauerit vnda,
Non extinguendus maior rogus est adhibendus:

Sic quoque conscendat vt rursus ad infima tendat:
Sic sublimetur, sic per se purificetur.
Tunc aqua candoris dolio purgata liquoris
Expers fœtoris lacti fit mixta cruoris:
Per se stillabit & mortua viuificabit,
Sic desiccetur quod destillare videtur.
Consurgit nullus vnquam sine semine fructus;
In quo dum moritur semen tunc fructificatur.
Est aqua scindenda pro corpore purificando,
Altera seruanda pars est ad cocta pianda.
Firmans mutatum prægnatio spondet biatum.
Menstruus hinc pascit donet suus exitus adsit,
Sic fons stillabit, sic per se pocula flabit,
Lympham insignem terram coniungit & ignem.
Est fons sumendus viua cum calce terendus:
Partibus aptatis lac decoque virginitatis,
Igne tepescente caleat feruore carente;
Et cum siccatur simili modo calx adaquatur.
Vnda sui fontis stillat de vertice montis,
Alter & alterius fons fontis fluminis huius.
Sic cibus in stomacho sincerum suscipit intro.
Omne merum reserat, & idem per membra coaptat.
Est tamen grata, adaquatio sit moderata,
Ne calx turbetur pelago quasi proiicietur.
Dum calcem iungis faciet contraria signis,
Et leuibus lignis siccet lentißimus ignis.
His ita siccatis amplexu virginitatis
Calx iterum mundam primi fontis imbibat vndam,
Suscipiat mulsum propria testudine pulsum,
Et terat mundam siccatam sanguinis vndam.
Tunc aqua seruata stillando purificata
Sic infundatur vt calx submersa tegatur,

Et dissol-

Et dissoluatur, vt limpida conficiatur;
Et desiccetur: & nouies hoc iteretur.
Certe sui diuam trahit ad se fontis oliuam;
Cernitur vt durum magnes sublambere ferrum.
Sed fons exanguem stillans cum soluitur anguem,
Ignis sub fimo surgat, ne siccet ab imo:
Nam mors tolletur viuo si fonte lauetur,
Qui stillans reparat, nutrit, gratissime purgat,
Abluit, emendat, renouat, rigat, vnit, inundat,
Germinat, & flores tellus quoque spirat odores.
Ergo sibi deditur cibus, & potu satietur,
Flumine mergatur, patienter conficiatur;
Et cum siccatur viuo potu satietur,
Dum satur ad plenum fiet, candore serenum.
Sic erit assandus alternatimque rigandus,
Vsque sui diuam sorbendo siccet oliuam:
Sic infundatur quod ipsa tota bibatur
Et desiccetur, totum cinis efficietur.
Tunc Veneris vena candentis fontis amena
Foris adhuc plena fiat sub Sole serena:
Ignis marcescat, vt candida tota nitescat:
Dulciter increscat, donec siccata quiescat,
Accensus ignis, comburit fortior ignis.
Ignem si spernit non ad sublimia tendit.
Si videas fumum paulatim tendere sursum,
Tunc superadde rogum, facies descendere rursum.
Coctura rerum tria sunt septena dierum.
Iungitur his verum contraria vis specierum.
Sic dissoluuntur species, sic conficiuntur,
Et sic accedunt, neque associata recedunt:
Sic fit summa rei congestio materiei,
Et res certa spei venit & candor seriei.

Si manet,

Si manet, eſt fixum; ſi funditur, eſt bene lixum;
Si nitet, eſt firmum; ſi tranſigit, eſt bene mixtum.
Candida tunc venas faciet candore ſerenas:
Myſteriis plenas candore gignit arenas.
Ex hac mixtura bene conſurgit genitura
Cuius natura dat in omnibus omnia pura:
Hæc calx alba nimis iugiter citrinatur in imis.
Vt ſit ſublimis Solis tinctura rubinus;
Tantum ferueſcat, magno feruore caleſcat,
Vt non candeſcat, roſea ſed luce niteſcat:
Ignis ſplendorem generat, tribuitque nitorem;
Candida candorem generat, rubicunda ruborem;
Et capit augmentum generans ſibi millia centum.
Per par fermentum totum docet experimentum.

Alterius.

SOLVERE *qui neſcit vel ſubtiliare metallum,*
Corpus non tangat, mercuriumque ſinat.
Nam corpus nequit ſpiritum retinere volantem,
Si non alterutrum facere bene noris.
Fac igitur ſtrictim ſeſe amplectantur vterque.
Id facit aqua viuens nec non ſal diſſolutiuum.
Tere bene & coquas lente ita vt illa priuetur
Ea matrice qua illum occultat:
Tunc clare videbis obſcuram fugere noctem,
Et Solem totum lucidum pulchrumque reuerti,
Multis cum floribus ornatum, formaque recta.
Hic Lapis eſt illud tandem quod ſcripta maiorum
Malleo percutier ſuper incude poſſe fatentur.

FINIS.

Si manet, eſt
Si nitet, eſt
Candida tu
Myſteriis p
Ex hac mi
Cuius nat
Hæc calx
Vt ſit ſub
Tantum
Vt non
Ignis ſp
Candi
Et ca
Per p

S

N